




SYNESIU
DE
INSOMNI
LUTET
1586.
















SYNESIUS

De la Bibliothèque de
Stephanus Baluzius Tutelensis
c. 1688
(sur titre)

De la vente du British Museum faite
en 1818,

Zacrumm





SYNESII LIBER DE INSOMNIIS,

INTERPRETE A. PICHONIO, Regio Græcarum literarum Professore apud Turonenses.

Cum eiusdem Notis, & Nicephori Gregoræ commentariis latinitate nunc primùm ab eodem donatis.



LVTETIÆ,
Apud FEDERICVM MORELLVM Typographum Regium, via Iacobæa, ad insigne fontis.
1586.
CVM PRIVILEGIO REGIS.


MVSEVM
BRITAN
NICVM


DUPLICATE.
B.M.
1818.



ILLVSTRISSIMO ATQVE REVERENDISSIMO S. R. E. CARdinali, Francisco de Ioyeuse, Archiepiscopo Narbonensi, & Maioris monasterij Abbati sapientissimo, Anthonius Pichonius, eius obsequentissimus seruus, perpetuam salutem & incolumitatem, longæuámque senectutem exoptat.



OGITANTI *mihi ac sæpenumerò poëticam philosophiam rimanti (clarißime atque amplißime Præsul) cur literarum parens, ac deorum interpres Homerus in primo Odysseæ Iouem inducit, à maxima rerum gerendarum cura relaxatum, & curandæ cutis studiosum ad Aethiopas diuertere, atque ibi grato conuiuio, latísque dapibus se ipsum inuitantem, vt molliter viuat, genióque indulgeat: Eum denique fingit Phœbo imperantem, vt ad sonum testudinis victoriam Giganteam inter pocula læta dulci mo-*

dulamine pangat & celebret. Hanc esse rationem facilè credo, qua nimirum præstantes in repub. viros adhortatur ille vertex ingeniorum, vt grauibus seriisque negotiis aliquantulum intermissis defessum animum recreent, ac refocillent. Sic, honoratissime Antistes, cum pro more habeas immodicis laboribus Christianæ Reip. nomine susceptis fatigatas generosissimi animi tui vires non ineptis, vel docto homine indignis voluptatibus relaxare, sed sanctis Theologiæ atq; Philosophiæ præceptis, quæ tibi pro puluino sunt, eundem oblectare, nullatenus mihi verendum censui, quin celeberrimo clarissimóque nomini tuo has nostras in Synesium & Nicephorum Gregoram vigilias consecrarem. Quia exploratum habebam, te ad imitationem Artaxerxis Persarum regis eo animi candore instructum, vt non tam citò quæ res offeratur quàm quo animo offeratur, respicias. Nam ingenuè fateor easdem te suo diligentissimo atque disertissimo patrono indignas esse: Cui nimirum pectus philosophica luce illustratum, omnibúsque bonis artibus expolitum est. Quippe qui iam inde à teneris annis Iouis atque Promethei numina vsqueadeò propitia habueris, vt tibi omnes ingenij pariter & corporis dotes inseuisse videatur ipsa natura. Propterea quòd à tam antiqua generosáque stirpe ortus, omni bonorum genere ita ex-

cellis.

cellis, vt nihil amplius ad laudis cumulum accedat. Nam citra omnem turpissimæ assentationis notam dicere non erubesco, te tuósque generosissimos ac bellicosissimos dominos fratres tuos sanctissimæ veræque Christi religioni adeò addictos esse, vt iure eum dignitatis gradum obtineatis, quo inter principes & primarios Reipub. catholicæ viros fulgeatis. Testimonio sunt hæc tam horrida, tam inculta & immania bella, quibus vigentibus in illis ac reliquis belli studio asperrimis principibus Galliæ salus tanquam in tutissimo ac munitissimo quodam præsidio conquiescit. Nec immeritò tales viros Græci heroas appellauere non à nomine ἔρως quod amorem significat, id est semideos amatorios: quoniam illi primi homines præ cæteris amoris aculeos iacularentur: Constat enim omnes heroas, vel ex amore deorum erga mulieres humanas, vel amore virorum erga deas genitos esse. Rectius Plato in Cratylo eiusmodi fortissimos viros, qui armorum tractationi iustitiam adiunxere à Iunone traxisse originem autumat, quæ ἥρα appellatur: Et heroas quasi ἀηρῶας, hoc est viros aërios & cælo dignos, propter sapientiam & fortitudinem vult esse dictos. Quales profectò heroes ex auorum patrúmque tuorum antiquissimis ac nobilissimis familiis tanquam ex equo Troia-

no permulti prodiere. Qui propter egregias suas virtutes publicis ac ciuilibus negotiis tum in pace, tum bello gerendis inter reliquos floruerunt, & immortale decus sibi suísque nepotibus pepererunt. Sic strenuißimi inquam, domini fratres tui, duo fulmina belli, huic nostræ Galliæ subueniunt. Qui non modo militari industria conspicui sunt, verumetiam consilio & auctoritate labantem hanc Remp. iuuant: Hísque rationibus sua stemmata maiorúmque imagines prorogant. Vnde non mirum est, si sceptrigero Henrico Gallorum Regi Christianißimo atque inuictißimo (cuius augustißimos sanctißimósque conatus in euertenda nocentißima horrendáque hæresews hydra Deus secundet) tam chari sunt : quia eorum in rebus feliciter & strenuè gerendis generositatem ac fidem exploratam habet. Quandoquidem nec animi, nec corporis, nec fortunæ bonis eosdem parcere palam est, vt pro sua virili parte nefariam & efferatam eorum scarabeorum audaciam propulsent, qui nigrum in candida vertunt, & ex eodem ore frigidum & calidum efflant. Eos dico qui religionis commutationem profeßi, eiusdem euersionem prodiderunt, & pro lympidißimis aquis turbulentißimas lacunas elegerũt: A quorum ore teterrimo non minùs abest falsitas: quàm ab absinthio amaritudo. Ex quo me Hercule deo immortali

tali gratias non mediocres agere debemus, quòd fidei catholicæ tam generosos athletas è cælo in terras dimiserit, qui pari molimine nituntur, & manibus pedibúsque, omnibus denique aduocatis viribus, atque omnium neruorum, mentísque contentione hostem acerrimum, ac publicæ quietis osorem à patriæ finibus abigere & arcere contendunt. Tales, inquam, viros maiores nostri deos existimarunt, τῷ μεγέθει τῶν ἀρετῶν ἐκπληττόμενοι, καὶ τῇ εὐεργεσίᾳ πρὸς αὐτοὺς θελγόμενοι, ait Budæus. Et eosdem tanquam terrena numina certatim suspiciunt purioris literaturæ cupidißimi homines. Nec immeritò eorum virtutem in rebus humanis feritati atque immanitati contrariam opponunt sapientes, quippe quæ τῆς μεγαλοψυχίας animi magnitudinis principium sit & origo, quæ suprà nos est, quæ eadem diuina & heroica censenda est: Sicuti Homerus Priamum de Hectore loquentem facit, eum virtute præstanti esse: ὅτι σφόδρα ἦν ἀγαθὸς, οὐδὲ ἐῴκει ἀνδρός γε θνητοῦ πάϊς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο, ὥς' εἰ καθάπερ φασὶν, ἐξ ἀνθρώπων γίνονται θεοὶ, δι' ἀρετῆς ὑπερβολήν. Non hic mortali est, sed diuum semine natus. Ita ex hominibus, ait Arist. propter excellentem præstantémque virtutem efficiuntur dij. Et rectè quidem: Ob id enim (ô Antistes integerrime atque sapientißime) te illósque tot tantísque bonis diuina prouidentia cumulauit, vt sanctißimæ & veris-

ſimæ Chriſti religioni vos veſtráque deuoueretis. Quòd enim in eius protectione tu & illi veſtræ felicitatis proram ac puppim collocetis nemo non videt. Vnde tuas eorúmque laudes eximias pangere non noſtrum eſt, vtpote qui tergeminis in cælum honoribus extolli mereamini. Geſta ſiquidem virorum fortium oratione magnifica, & altiloquo dicendi genere efferenda eſſe, ne ſua gloria fraudarentur, dicebat Cato. Virtus indigno non committenda poetæ, ait Flaccus. Ideóque frigeſcit noſtra muſa, nouítque quàm ſit ſibi curta ſuppellex. Quod ſi quempiam offendat argumenti leuitas, quaſi verò inſomnij vox leuior ſit, quàm vt de ea tanta exoriatur diſputatio. Sciat ille dormientium animos ſuam declarare diuinitatem: nec temerè hanc materiam certatim à grauiſsimis philoſophis agitatam fuiſſe, vt ab Ariſt. à Platone permultis in locis, à Themiſtio & Artemidoro. Deinde ad Syneſium eum remitto, qui conſtanter aſſeuerat ſub hoc inſomniorum inuolucro abditiſsima philoſophiæ præcepta, & à vulgari ſenſu captúque longè remota deliteſcere. Syneſius enim præter diuinarum literarum arcana prophetico atque Sibyllino compendio & ænigmate inuoluta, & mirificam in ſacroſancta pagina rerum ſublimium ac cæleſtium intelligentiam, & eloquentiam Attico ſermone comptam, omnia etiam

etiam philosophorum, præsertímque Platonis vada, sinus & maria scrutatus est: Et quæcunque in Chaldæorum & Aegyptiorum alto profundóque pelago latebant, ea expiscatus est. Et vt summatim dicam, omnes veteris caballæ vtriusque gentis gurgites solicitauit. Cũ enim ex illustri prosapia ortus esset, in ætatis flore venationem & philosophiam accuratè sectatus est. Ac deinceps à Theophilo Alexandrino baptisatus, siue aqua lustrali aspersus, & in numerum Christianorum cooptatus, se inuito propter eximiam in dicendo sapiendóque solertiam ac morum vitæque integritatem à Ptolemæensibus, vel, vt alij volunt Dalmatis ad episcopatũ promotus est & fidei christianæ athleta generosissimus cõtra Eunomianos Arrianosque strenuè decertauit: Quãuis, priusquã sacris initiaretur, præposteris quibusdam de mortuorũ resurrectione opinionibus addictus esset, quibus diuino afflatus numine, ac meliori iudicio corroboratus tandem repudiũ misit: vt ex diuino hoc insomniorũ opusculo eiusdémq; epistolis videre est. Cuius tota dissertatio nõ ad aliũ scopum, quàm animi immortalitatem tẽdit ac dirigitur. Sed vt ad rẽ redeamus: Quanquã irridet Macrobiũ Hippocratis interpres, quod sine iudicio nõ somniorũ genera, sed somnia collecta sunt: tamẽ Macrobij idoneorũq; auctorũ opinione comprobatũ est, omniũ

quæ videre sibi dormientes videntur quinque genera esse: ὄνειρον, ὅραμα, χρηματισμὸν, ἐνύπνιον καὶ φάντασμα, id est somnium, visionem, oraculum, insomnium & fantasma: quæ distincta inter se nomina sortita sunt. Inter quæ hoc interest, vt somnium propriè vocitetur, quod tegit figuris, & velat ambagibus rei demonstratæ significationem: Cuius altitudo tecta profunditate prudentiæ, non potest nobis nisi scientia interpretationis aperiri. Oraculum, quando sancta grauísque persona, vel etiam Deus apertè quid euenturum, vel non euenturum sit, demonstrat. Vt Alexandro magno inter somniandum apparuit Deus eo habitu eadémque forma, qua postero die principem sacerdotum sibi occurrentem vidit. Visio autem est, quum id quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat, eueniet. Quæ tria tum in sacris, tum in profanis literis reperiuntur. At postrema duo, teste Macrobio, cura interpretationis indigna sunt, quia diuinationis nihil apportant. Somnis etenim non esse inhærendum in tam numerosa eorum vanitate, præter instituta Christianæ veritatis, eadémque vana esse ac futilia, nec Maro tacuit Aeneid. 6. Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes: cælum vocans regionem superstitum ac vitales auras carpentium. Verbi causa Theocritus cùm in tota illa venustißima luculentißimáque sua poësi varias

cupidi-

cupiditatum humanarum pingit imagines, earum rerum quæ in communi mortalium vita sæpenumerò vsu eueniunt, tum 25. Eidyllio sub illius piscatoris persona, qui vana spe delusus somniauerat se grandem piscem aureum cepisse: Atque idem tanto gaudio præpeditus ac perfusus, vt gestiendo cælum ipsum attingeret, ita exanimatus fuit, vt se iureiurando adstringeret, quandiu superstes foret, nullam piscibus capiendis posthac operam nauaturum, sed lautis & opiparis conuiuiis dapibúsque egregiis cutem curaturum, quia aureus ille piscis inter somniãdum captus, sat idoneos suggereret sumptus ad reliquum ætatis æuum in otio & luxu cũ vxore & liberis traducendum. Atqui vecordem stultitiam & mentis errorem sub hoc inuolucro carpit poëta ille Syracusanus eorum hominum, qui sua sorte minimè contenti, aliorum conditionem diligentius obseruant, quàm suam: Et ita ditiorum splendidiori ac locupletiori fortunæ inuidentes, sibi vana & futilia somnia fingunt, laborem fugiunt, officio desunt, & suo sibi inuento miseriam & calamitatem accersunt. Quos Sophocles ita lancinat & exagitat,

Οὐκ ἂν πριαίμην οὐδενὸς λόγου βροτὸν
Ὅστις κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνεται.

Aiunt tamẽ grauißimi quiq; auctores nõ habenda pro veris de statu ciuitatis somnia, nisi quæ Re-

ctor eius, magistratúsve vidisset, aut quæ de ple-
be non vnus, sed multi similia somniassent. Quo-
circa apud Homerum cum in concilio Græcorum
Agamemnon somnium quod de instruendo prælio
viderat, publicaret: Nestor qui non minus se pru-
dentia quàm omnis iuuenta viribus expertum in-
nuit, concilians fidem relatis: De statu, inquit, pu-
blico credendum est regio somnio: quod si alius vi-
disset, repudiaremus vt futile. Nec certè defue-
runt qui ratione & experimentis præsagiorum
miram veritatem inde comprobarunt, quòd men-
tem vtique per diem veris auocari visionibus, ne
obdormiat, dicerent: noctu verò falsis, ne excitari
celerius queat. Et Socrates apud Platonem in
Phædone hoc in argumentum immortalitatis ani-
mæ rapit, quia τὸ ἀεὶ κινητὸν ἀθάνατόν ἐστι, quod
semper mouetur, istud est immortale. Ob ídque na-
turale est hominibus desiderium sciendi & sa-
pientiæ, quæ cùm in hac vita contingat exigua,
vel nulla potius, futurum esse absque dubio, vt
desiderium hoc alibi expleatur, quemadmodum
neq; oculis vsus est in tenebris. Sin autẽ nullæ om-
nino mẽti sese ingerãt imagines aut vigilare illam
necesse erit, aut perpetua morte sopiri. Proinde in-
ter dormiendum somniorũ inuolucra à Deo opti-
mo maximo impertita esse fatendum arbitrantur:
Atque adeò veridico præsagio multis fuisse obla-

tas

tas per somnum species Christianorum gentiúmque historia argumento esse potest. Quin & nostrorum vatum responsa euentu admirabili, ex parte fuisse somnia, compertissimum est. Verùm quæ falsa sunt, obrepunt modò soporis causa: illa, vt ex diuinæ potestatis magnitudine ingruens bonum vel malum præripiamus. Propterea actuum Apostolorum 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Quod si intelligentia non contingat, non propriè dicitur prophetia: Sicuti Pharao spicas vidit, Gen. 41. Et Balthasar manum scribentem in pariete, Danielis 5. Ille dormiens, hic vigilans. Neuter enim eorum Propheta fuit. Non vt Hieremias, qui ollam vidit succensam, & faciem eius ab Aquilone. Quo significari intellexit Babylonici regis exercitum ciuitatem Hierusalem exusturum. Omitto insomnium Nabuchodonosor, Danielis 2. Vxoris Pilati, Matth. 27. Per me quidem licet, somniale vaticinium temeto ingurgitatis, cibo turgidis, ac dapibus saburatis, vanum ac futile esse, & iisdem inania rerum simulachra representari. Sed castis atque sobriis, resoluto sensibili vigore iuxta cerebrum, veræ aliquoties sese offerunt rerum imagines, vt Penelopes exemplo docet Ho-

merus. Ne interim Astyagem illum Medorum regem sileat oratio, qui per somnium vidit, ex naturalibus Mandanes filiæ, quam vnicam habebat, vitem enatam, cuius palmite omnis Asia obumbrabatur: Consulti harioli, ex eadem filia nepotem ei futurum, cuius magnitudo prænuncietur, regníque amißionem portendi, responderunt. Et quamuis de gente Persarum tunc temporis obscura Cambysi mediocri viro filiam in matrimonium tradidisset, haud tamen efficere potuit, quin cũ ipso tẽpore, quo nihil sapiẽtius est, vt ait Arist. veritas in lucem erueretur. Ἄγει γὰρ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν ὁ χρόνος, vt est in veteri Græcorum prouerbio. Vnde natus est potentißimus ille sapientißimúsque Persarum rex Cyrus. Qui cùm in regia dormiret, visus est ei aduenisse melior quidam quàm natura humana, eíque dixisse: Para te ô Cyre, iam enim abis ad deos. Quod somnium intuitus excitatus est, propéque intelligere visus sibi vitæ exitum adesse. Ferunt etiam Philippum Macedoniæ Regem, ea nocte qua conceptus est Alexander, vidisse per quietem, se reginæ Olympiadis vtero sigillum impreßisse, cui leonis effigies insculpta erat. Significari autem hoc somnio, Olympiadem reginam grauidam è Philippo fortißissimum regem parituram esse. Et Socrates de somniandi ratione disserens apud Platonem, ait:

Quum

Quum quis moderato & salubri cultu atque victu se quieti tradiderit, ea parte animi in qua est ratio, excitata & erecta, saturatáque bonarum cogitationum epulis, & ad se ipsam contemplando conuersa: illa etiam parte animi, in qua irarum ardor æstuat sedata atque restincta, ita vt quiescat nulli infensa: Atque ita pacatis partibus duabus, mente verò erecta aliquis somno se comparet, tunc demum pura mens veritatem contingit, neque insomniorum visa nefaria occursant. Idcirco Themistius ex Aristotelis sui doctrina ait diuinationem in somno esse aliquam, neque pertinaciter resistendum, neque temerè assentiendum: vt Horatius de se testatur,

Atque ego quum Græcos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, cum somnia vera.

Sed quia in eo ferè profundo puteo, in quo demersam Democritus latere veritatem putauit, Synesiana insomnia iacuissent, nisi doctißimis ac solertißimis Nicephori Gregoræ scholiis illustrata fuissent, ea quoque latina feci, vt tuo patrocinio (integerrime Præsul) fulta in apertum prodirent. Nicephorus enim vt diligens agricola ex amplissimis ac feracißimis Synesij noualibus hoc vni-

cum insomniorum opus excerpsit, luculentißimisque commentariis excoluit. At ego ne quibusdam ignorantiæ tribulis, lappis, infelicibus loliis, sterilibúsque auenis obrueretur, atque horridum incultúmque maneret, ligone Latino repastinaui. Non quòd me venditem tam obscuras tenebras in dias luminis auras protulisse: Absit enim vt me ipsum aliis caligantibus lynceum putem, sed me vnusquisque talem esse sciat, qui libenter pro mea virili parte literas iuuare studeam. Ea enim lege atque omine serenißimus ille atque eminentißimus princeps defunctus Franciscus Valesius (qui perpetua pace fruatur, & in sinu Abrahæ, viuorúmque regione quiescat) me à Parisiensi nostra Academia reuocauerat, vt illius largitione, stipendio, beneficentiáque stipatus Turonensem iuuentutem ad bonas artes promouerem. Enimuerò nisi vanus ineptúsque sim hariolus, quosdam fore susurrones molestósque interpellatores nodum in scyrpo quærentes auguro, qui è Lernæis lacunis Auernique faucibus emergant, & has nostras lucubrationes linguæ procacitate onerent, ac de me tanquam iusto hoste triumphare contendant: quòd non polita, tersa, venustáque sit hæc nostra oratio. Qui sic habento: me primum nullum verbum insolens adhibuisse, quodque à claßicis & Latinis auctoribus non esset vsurpatum,

tum, illis præsertim tritum, qui in philosophia tractanda studium & operam collocarunt: Deinde intelligant, nisi inuidia ignorantiæ comes istorum animos omnino corrũpat, fidelẽ interpretationem, rem esse facundiæ minime capacem, nec posse quẽpiam sententiæ ac variis styli flosculis simul inseruire. Græca siquidem antiquitas quasdam phrases sibi vendicat, quæ nescio quid grauitatis præ se ferunt, quamuis sine fuco, verborúmque lenocinio efferantur. Sed istiusmodi lampyrides noctu solùm, & in suarum ineptiarum tenebris ac sordibus lucentes, parum admodum luminis viatoribus ad Musarum sacras ædes iter suum tenentibus adferunt. Proh dolor, quàm miserum est, cum huiusmodi laruatis monstris Proteo mutabilioribus certamen habere: Quæ virtutis opinione, & literarum aucupio gloriam simul & quæstum captant. Faxit Deus opt. maximus vt citò resipiscant (est enim, ait eloquentiæ Romanæ parens, cuiusuis hominis errare, sed insipientis in errore perseuerare:) Et apud se perpendant, firma latera, bonam valetudinem, auram popularem, eloquentiam, omnes morales virtutes, ac cæteras artes, quas vocant liberales nullas esse, sed fumo leuiores, & quisquiliis fragiliores, nisi cum charitate iungantur. Itaque momi & obtrectatores obmutescant, & à furtiuo latratu, clandestinóque mor-

ſu ſeſe abſtineant ſi velint: Quorum moroſam in deblaterando garriendoq́ue ſuperſtitionem teruncio non emerim, de quibus perpetuum habeatur ſilentium. Sat mihi fuerit, dummodò tibi (ô ſapientiſsime ac reuerendiſsime Præſul) necnon probatiſſimæ virorum doctiſsimorum coronæ, quæ te circunſtat, ac reliquis hominibus, qui vnà cum doctrina liberali modeſtiam vt perpetuam comitem adiunxerunt, placere poßim. Sed receptui canendũ eſt, ne Antiſtitis ornatiſsimi teretes & patientiſsimas aures immodicis verborum ambagibus & inuolucris onerare videar. Tantùm dicam (illuſtriſsime ampliſsiméque Cardinalis) quòd te ſpero hoc munuſculum ea fronte admiſſurum, quo animi ardore tibi conſecratum atque oblatum eſt: vt Regia maieſtate, tuoq́ue grauiſsimo ſubſidio fultum adiutúmque prodeat. In te ſiquidem viri literati reperiunt tutam muſis hac tempeſtate naufragis ſtationem, tutiſsimúmque præſidium. Habe igitur, humaniſsime mi domine, hoc ſymbolum perpetuæ meæ erga te obſeruantiæ, vt mirum agnoſcas deſiderium mea omnia, méque ipſum tuæ amplitudini dedicandi. Interim faxit deus optimus maximus, vt annos Neſtoris attingas, & perpetua incolumitate ac tranquillitate fruaris. Vale è Turonenſi noſtro muſæolo, pridie Kalend. Decembris, 1585.

AD MOMVM.

DVM latras, strepis, obrudis, canis, anser, aselle,
Nos terrere tua garrulitate putas:
Vt tu nos, Libycum sic terret rana leonem,
Sic melitæus aprum, sic elephanta culex.

Εἰς σκωπτικὸν ὅντινα μῶμον.

Οἷον δεινὰ φαλάγγια ληστὴν ἐντὸς ἀρούρης
Δάκνει, ὅταν νήφων ὄσπρεια χερσὶ δρέπῃ.
Καὶ κακοήθη ἔμμοχθον περὶ δῆγμα πελάζει,
Ἡ δὲ φέρει χροιῇ ἄλγεα τῇ φλογερῇ.
Ὧ δ᾽ ἀκεραίῳ σμερδαλέον βρόμον αὐχένι σπένδεις
Ἐκ γλώσσης κέντρου, ῥεῖα δὲ μοῖραν ἔχεις.
Καὶ κραδίῃ σοῦ τῇδε παραπλάζουσα μέμηνε,
Τοῦτο τέρας πεδίον τ᾽ οὐλοόν ἐστι βρέφος.
Καρτερίαι δέ μοι εἰσὶν ἀλεξητήρια τούτου
Δήγματος, ἤτε χάρις, τοῦτο δ᾽ ἄμεινον ἀεί.

Idem Latinè in mordacem quemlibet Momum.

DIra phalangia carpentem vt cerealia mordet
Semina, de terra cùm sine falce legit:
Et cæco morsu dum corpora lenta repungunt,
Incutiunt pariter vulnera dura cuti.

Sic tu diffundis linguæ de cuspide virus
Horrendum, id spargens in caput innocuum.
Insanúmque tuum vexat dementia pectus,
Talia monstra ferens ter miserande peris.
Sed pius & patiens amor est præstantior vsque:
Hæcque tui morsus sunt amuleta mihi.





SYNESII LIBER DE INSOMNIIS, INTERPRETE A. PICHONIO, Regio Græcarum literarum Professore apud Turonenses.

1 Christianus & Academicus Synesius docet Platonico more sua non tantum verba, sed & sensum allegoricè attendendũ esse. Solent enim de nominibus altercari, qui non diuinas res exquirunt, sed sonos verborum sectantur, & aurium tenus ea recipiunt, quæ mente volutare recto pióque iudicio debuissent. Vnde ait Dionysius Areopagita, Temerarij hominis est, non vim rei attendere, sed vim facere velle vocabulis.

2 Prophanum vulgus intelligit, nec dum Philosophiæ sacris initiatum, quod ab huius libri lectione prorsus arcendum ducit. Hinc Hor. 3. Carm. Odi profanum vulgus & ar-

PRAEFATIO.



NTIQVAM opinor & Platonicam [1] apprimè redolet philosophandi rationem, vt sub ignobilioris minutiorisque argumenti inuolucro delitescant seria philosophiæ præcepta: quò nec ea quæ mole ac difficultate inuestigata fuerunt, iterum pereant, ex hominúmque mentibus effluant, [2] neque imperitæ multitudini exposita conspurcentur. Istud proinde æmulè ac

ceo. Et Plato in Axiocho populum vocat ἀχάριστον, ἀψίκορον, ὠμὸν, βάσκανον, ἀπαίδευτον. i. ingratũ, fastidiosum, crudelẽ, inuidum, imperitum.

studiosè quidem tentauit quàm maxime præsens commentatio: Vtrum porrò etiam huius rei compos fiat, & aliis in rebus eximiè veterum ritu elaborata sit, agnoscant ij, qui cum philosophica natura in eadem sunt versaturi.

ORATIO.

1 *Metonymia somni pro eo quod inter somniandum specie tenus apparet.*



VOD si [1] somni sunt fatidici, & quæ inter somniandum spectantur rerum vigilando futurarum rationes obscuras hominibus suggerunt, arguti quidem & elegantes fuerint, perspicui verò nequaquam. Ex quo fit vt solers sit etiam ipsorum ambiguitas, & abdita difficultas. Hominibus enim dij vitam obtexerunt. Nam absque labore quidem maxima consequi, diuinum est bonum. Mortalibus autem profectò non solum ante virtutem, verum etiam decora egregiaque [2] omnia sudorem Dij posuerunt. Quinimò vaticinatio bonorum est præstantissimum.

Dij vitam occuluere boni mortalibus ægris.

2 *Dij sudoribus nihil non vendunt. Hinc Seneca, nihil est tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat aßidua meditatio.*

[1]Intelligentia enim & omnino cognoſcendi virtute, & Deus homini, & homo belluæ antecellit. Sed Deo quidem ad cognoſcendum ſufficit habitus naturalis, homini autem ex diuinatione multò plura commoda adueniunt, quàm quod par ſit vulgari naturæ. Homo quippe vulgaris id quod adeſt modò animaduertit, id verò quod nondum euenit, coniectura colligit. At Calchas vtique ſolus in concione Græcorum omnium perdidicerat, *Quæ ſunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur*. Et apud Homerum certè ea de cauſa ex iudicio Iouis pendent deorum negotia, quoniam maior natu fuit, & plura nouit, eò quòd nimirum prouectioris eſſet ætatis.

1 *Nam ex mẽtis agitatione ſolertiáque vis oritur ratiocinandi, cuius bruta ſunt expertia. Et ob id homo à Græcis dicitur μικρόκοσμος: quòd quemadmodum vniuerſa corpora, & virtutes ſpiritales omnes diuino ſubiiciuntur gubernaculo: hunc in modum membra corporea & animales virtutes magiſtra ratione reguntur: atque eodem fere pacto ſe in homine ratio habet, vt Deus in mũdo.*

Etenim adultam Iouis ætatem ad hos verſus ob id pertinere puto, propterea quòd vſu euenit vt temporis[2] diuturnitate plura cognoſcamus: Quandoquidem cognitio eſt procul dubio res precioſiſſima. Sed ſi quis aliis verſibus acquieſcat, vt reputet manuum Iouis principatum robur

2 *Quia per cauſas cauſarúmque effectus ipſa dies rerum cognitionem adfert. Ideóque admonet Gell. quendam veterum poetam veritatem temporis filiam vocaſſe: quòd licet aliquando lateat, tamen temporis progreſſu in lucem emergat.*

esse, quia dicit, Is quidem violentia robustior erat: insolenter ille in poësi versatus est, & ignarus eius quæ in ea est [1] philosophiæ, Deos nihil aliud quàm animos dicentis. Hac ratione Homerus istud insuper annectit virium præstantiæ: [2] Et ætate superior erat: Iouem animum exponens antiquiorem & originis rerum auctorem. Sed animi robur quidnam aliud quàm prudentia fuerit?

[3] Quicumque ergo Deus in Deos imperium habere sibi vendicat, animus cùm sit, sapientiæ abundantia alios vincit. Itaque & illud, virtute verò robustiorem fuisse Iouem, in idem nobis redit ac reflectitur. Ob idque sapiens Deo est [4] familiaris, quia nauat operam vt ad cognitionem proximè accedat: Et occupatur circa intelligentiam, in qua diuinitatis consistit essentia. Hæc quidem argumenta sint futurorum prænunciationem inter optima esse eorum quæ ab hominibus studiosè obseruãtur. [5] Quod si omnia quidpiam portendunt, per ea videlicet, quæ germa-

1 *Eodem argumento Saturnus dicitur à Poetis, ἀγκυλομήτης. i. versutus: quoniam senescentes multiplici consiliorum pollent varietate, siquidem omnia edocet tempus.*

2 *Vnde & Deorum filij insignes Poetæ dicuntur à Platone, quia non arte, sed diuino afflatu omnia ista præclara poemata canunt.*

3 *Vt Jupiter, sicuti videre est ex 8. Iliad. cùm Homerus de cathena aurea verba facit, σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν.*

4 *Eam ob rem quisquis intellectu viuit, κρονίαν. i. Saturniam agit vitam, κρόνος enim apud Platonem in Cratylo dicitur quasi κόρος ὢν τοῦ νοῦ, mentis saturitas & pabulum: quo verbo puritatem mentis inuiolabilẽ significat.*

5 *Incipit serio philoso-*

na & affinia ſunt earum rerum, quæ in vno animali [1] mundo continentur.

Et ſunt ea veluti multiplices literarum notæ, haud ſecus atque in libro oculorum iudicio, hæ quidem Phœniceæ, aliæ Ægyptiæ, & aliæ Aſſyriæ: & legit peritus: peritus autẽ eſt, qui natura [2] duce edoctus eſt: & alius aliter: Et hic quidem magis, ille verò minus: quemadmodum alius in ſyllabis, alius in confertis dictionibus & coniunctis verbis, alius autem ſimul in orationibus. Hunc in modum proſpiciunt ſapientes rerum euentus: Hi quidem [3] ſiderum gnari, alius inhærentium, alius [4] flammeorum, emicantium & errantium: Alij in inteſtinis ea legentes, alij in alitum clangoribus, ſedibus, ac volatibus.

Quæ porrò ab alijs [5] ſymbola portentáque vocantur, rerum futurarum manifeſtæ ſunt literæ, voces, atque fortuitò oblati euentus propter aliud contingentes, cum omnia ſint omnium ſignificatiua. Itaque ſi ſa-

phari: videtur porrò ea intelligere vnde ſumuntur oracula, auſpicia, vaticinationes ſacerdotum, aruſpicum coniectorumque reſponſa. Nam ſoli Dij & homines mentem verbis exprimunt.

1 *Plato in Timæo aſſerit mundum animatum: cuius animam Iouem nominat in Phædro.*

2 *Alludit ad illud Heſiodi,* οὗτος μὲν πανάριστος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει. *i. optimus eſt ſeſe qui nouit cuncta magiſtro.*

3 *Genethliacos, aruſpices & augures ſignificat.*

4 *De quibus Plin. libri ſecundi, cap. 15.*

5 *Quæ in naturæ communitate conſideranda ſunt. Hîc autem non Chriſtianum, ſed philoſophum agit ſuperſtitioſum.*

pientia esset apud aues artem ex hominibus, ipsis de rebus euenturis fingerent ac molirentur, sicut nos ex ipsis. Etenim nos illis, noui, antiquissimi & conuenientissimi sumus, quẽadmodum illæ nobis. Nam operæprecium erat, opinor, [1] vniuersi huiùs consentientis & amicè conspirantis partes inuicem [2] congruere, quippe quæ vnius integri membra sunt. Et num hæc sunt magorum [3] pelliciendi artificia? Ac certè demulcentur inter se, & veluti signis colliguntur.

Et sapiens is est qui partium mundi [4] societatem intelligit. Trahit enim alia per aliam habens pignora præsentia eorum quæ longissimè absunt, & voces, & materiam, & figuras: sicut in nobis viscere offenso, aliud membrum condolescit. Ac digiti pedis malum in inguen infunditur multis interpositis minimè læsis. Vnius enim ambo sunt animantis: estque ipsis quidpiam maius quàm alijs inter se. Atque etiam ad quempiam Deum [5] ex ijs qui sunt intra mun-

1 *Vniuersum hoc absolutum naturæ numen est per omnia erumpens: & quæ pluribus insunt, ea vniuersalia appellat Arist. primo de part. animal.*

2 *Harmonicam mundi rationem vult dicere, de qua Plin. li. 2.*

3 *Hîc Magos more Persico, pro sapientibus Druidis, Gymnosophistis, Chaldæis vel, prophetis, non pro incantatoribus accipe.*

4 *Vt elementorum affinitatem, quorum proprietates, licet inter se pugnent, ob siccitatem humectationémque, rursum ex calore ac frigore, tamen eorum discors concordia progignit vniuersa.*

5 *De Dijs gentium opinione consecratis loquitur, hoc est, dæmonibus & immundis spiritibus.*

dum, lapis hinc & illinc & herba pertinet, quorum naturæ ſimiliter affectus morem gerit præſtígiiſque decipitur.

Quemadmodum qui ſummam in fidibus chordam pulſauit, non ſeſquioctauam quæ eidem adiacet, verùm ſeſquitertiam & imam mouit: id quidem continuò antiquioris melioríſque eſt concordiæ: Eſt enim aliqua velut in affinitate partium etiam diſconuenientia. Quandoquidem mundus non eſt ſimpliciter quidpiam vnum, ſed ex [1] multis vnũ: Súntque in ipſo partes cum partibus conuenientes ac dimicantes, & ipſarum diſcordia ad vniuerſi conuenientiam conſonante, veluti lyra coagmentatio ſonorum eſt concordantium atque diſſonorum. Hoc verò ex repugnantibus vnum, harmonia eſt lyræ ac mundi.

[2] Archimedes itaque Siculus optabat locum extra terram, tanquam ſe ipſum ex aduerſo ponderaturus cum tota terra. In ea enim cùm eſſet, haud ſe habere potentiam dicebat contra

1 In his enim quæ multa ſunt ineſt & vnũ: Nam cùm partes ſint vnius entis, non ita ſe inuicem deſerunt, vt ipſi enti vnum, & ipſi vni ens deſit. qua ratione vnum ens infinita multitudo erit. Plato in Parmenide.

2 Qui à Græcis ob ingenij fertilitatem πολυμήχανος, nuncupatur, quòd vno impetu numeroſas excuteret ſagittas: & ab iis quos percuſsiſſet ἑκατόγχειρ. Hic Sphæram vitream fecit, in qua motus circulorum cõſpici poterant, ſed in Syracuſarum expugnatione ab ignaro quodam milite interfectus eſt, cùm animo & oculis in terra defixis formas Geometricas deſcriberet,

ipſam.[1] Qui verò quadantenus circa mundi naturam eſt induſtrius, extrà collocatus, non amplius habet in quo ſua vtatur induſtria: ipſo enim mundo contra ipſum vteretur. [2] Diſſipata ergo cohærentia, necquicquam proſpiceret, & inania notaret indicia. Etenim quodcumque extra mundum diuinum eſt, id omne ab incantatione & præſtigiis immune eſt. Ille[3] autem ſolutus ſecurus eſt, neque mouetur. Natura ſiquidem diuinæ mentis nec trahi blanditijs, nec palpari poteſt.

Quod autem affectibus ſubiicitur, id etiam carmine decipitur. Latitudinem quidem certè in diuinationibus ac ceremoniis eorum quæ ſunt in mundo exhibet multitudo ac ſocietas: Diſſidentium quidem multitudo, ſocietas autem eorum quæ ſunt vnius. Sed neque hic ſermo ceremonias quidem moliatur, ciuilis adminiſtrationis legi morem gerens. Diuinationem verò futurorúmque præſcientiam vitio minimè vertendã admittat. Ideo ſummatim ipſa pro virili

parte

1 *Contra Archimedis opinionem mundi harmoniam probat: Ille enim ingenij ſolertia fretus teſtari auſus eſt, ſi alterum terræ globum fuiſſet adeptus, vtrumque ſe alteri fuiſſe applicaturum. Hinc enim efficitur maiorem eſſe harmoniam in vno, quàm in duplici mundo.*

2 *Eam vult dicere quã homo cum vniuerſo habet.*

3 *De Ioue hoc dicit Homerus Iliad. 15.*

parte exornata ſit. Nunc porrò licet ei qui optimam diuinandi rationem deprompſerit, æquo animo verſari in ipſius conſideratione, ſignum cõmune in omni diuinationum genere [1] obſcuritatem habenti. Vt id quod contemplando obſeruatur in integra natura, nullius diuinationis reprehenſionem eſſe cenſeat. Ratio verò indicat etiam iſtud venerandum, quemadmodum in ceremoniis arcanum. Eo pacto neque oracula ab omnibus intellecta reſponſa dant. Et inde [2] Loxias anfractuoſúſque eſt Pythius Hariolus, quia ligneum murum quem Deus Athenienſibus dabat ſalutarem, incaſſum audiuiſſet in concione populus cõgregatus, niſi Themiſtocles recitaſſet oraculi ſententiam. Quam ob rem hîc quidem ne reſpuenda fuerit ſomniorum diuinatio, communem habens & cum aliis, & cum oraculis obſcuritatem ſolertiámque.

Sed maximè inter omnes diſciplinas hæc capeſſenda eſt, quoniam ea ex nobis eſt, ac interna & pecu-

1 *Omnis quippe diuinatio anfractibus ſcatet: ideóque oportet ſomniorum interpretem ſagaci atque ſolerti animo præditum eſſe.*

2 *Apollo Loxias cognominatur, id eſt flexuoſus, vel quòd obliquum circulum ab occaſu ad Orientem pergit, vel quòd reſponſa perplexa dabat. vide Macrob. primo Saturn. & Suid.*

liaris vniuscuiuſque animi.[1] Mens ſiquidem obtinet ſpecies eorum quæ ſunt, ait vetus[2] philoſophia: Nos autem ſuperaddemus, animam eſſe eorum quæ fiunt: Quandoquidem ea eſt ratio mentis ad animam, quæ eſt eius quod eſt ad id quod fit. Ergo vicibus alternis, ordinéque mutato, primum ad tertium, & ſecundum ad quartum, ac præpoſterè ſumentes, nihilominus veraces fuerimus, ſcientiæ terminos ſequentes. Sic ratione & argumentis demonſtratum ſit id quod à nobis conſtitutum, nimirum quòd ſpecies eorum quæ fiunt habet animus. Habet vtique omnes: ſed congruentes promit, & illuminat imaginationem, per quam comprehenſionem rerum illic manentium, habet animal. Quemadmodum ergo neque mentis[3] actiones ſentimus, priuſquam eas[4] communioni vis animi moderatrix manifeſtas fecerit, & id quod ad[5] eam minimè venit, ignoratur ab animali:

Sic neque eorum quæ ſunt in primaria animi parte perceptionẽ habe-

1 *Mẽs, id eſt, intelligẽtia nunquam à veritate aberrat, vt ait Ariſt. 3. de Anim.*

2 *Pythagorica & Platonica.*

3 *Mens agit cum cogitat & intelligit. Aliud enim eſt quòd viuimus, aliud quòd cogitamus. Nam dormientium mens non anima ſopitur: & in furioſis mens extinguitur, anima manet: & ideo non exanimes, ſed dementes vocãtur.*

4 *Per communionem, Græcè τῷ κοινῷ quinque ſenſuum ſocietatẽ intelligit, quæ ita rerum abſentium imagines repræſentat, vt eas cernere oculis, ac præſentes habere videamur.*

5 *Platonis ſententiam ſequitur qui τῶν γενομένων παραδείγματα omnium rerũ quæ fiunt ideas in mente collocat. Plat. Phædone.*

mus, priusquam in [1] fantasiã venerint ipsorũ imagines: Et apparet vita hæc esse parum [2] diminuta, nec-non in proprietate naturæ subsistens. Sensuum quidem certè organa præsto sunt in ipsa. Etenim colores videmus, crepitus audimus, tactuúmque maximè pungentem perceptionem habemus, nullam efficiendi vim habentibus instrumentalibus partibus corporis. Num igitur angustius perfectiúsque est hoc genus sensuum? Atqui per ipsum etiam cum Diis sæpenumero commercium habemus, & increpantibus, & futura prænunciantibus, ac reliquis in rebus nostri respectum habentibus. Itaque si cui certè thesaurus fuit pro dono somni, haud in admiratione habeo, si quis somno sepultus ineruditus, postea vbi Musas somniando conuenerit, & partim cum eis loquens, partim eas audiens, [3] poëta industrius est effectus, veluti tempus nostrum tulit: nec istud nimis est admirabile.

Prætermitto equidem etiam insidias significatas, & quibusnam so-

1 *Arist. sententia hæc est qui nostram scientiã à sensibus pendere existimat: est enim fantasia spiritus communis.*

2 *Quamuis dicat Oui. li. 2. de amorib. Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago?*

3 *Alludit ad Ennium qui scripsit somnio se admonitum fuisse, animam Homeri in suum corpus transmigrasse per μετεμψύχωσιν. Hanc autem animæ de corpore in corpus commigrationem ab Aegyptiis sumptam esse innuit Herodotus in Euterpe.* Hinc *Persius, Nec in bicipiti somniasse Parnasso Memini, vt repẽtè sic poeta prodirem.*

mnus medicus indemnem efficit morbum: Sed quando ad absolutissimas eorum quæ sunt speculationes viam animo patefecerit, huic quidem nulla cupiditate[1] affecto, neque locum accessu difficilem animaduertenti, id fuerit in his quæ sunt supra naturæ * verticem erectum esse, & coniungere cum eo quod sub [2] intelligentiam cadit eum qui tantopere aberrauerit, vt vnde venerit[3] ignoret. Sed si cui videtur quidem res magna hæc vitæ institutio, in fantasia verò sat præsidij non ponit, ac nequaquam per ipsam beata[4] cōnexio suppeditetur, sacras audiat vaticinationes, quæ loquuntur de discrepantibus viis. Post igitur totam enumerationem domesticorum subsidiorum ad sublimiorem meditationem, per quam facultas datur semen interius amplificandi, His quidem (inquiunt) vt luminis cognitionem adipiscerentur dedit Deus eruditione acquisitam: Alios verò etiam dormientes suæ virtutis fructus participes fecit.

1 *Nam animo perturbationibus concitato, velut ægri somnia vanæ finguntur species, vt nec pes, nec caput vni reddatur formæ. Hor. in arte. animus enim corporis doloribus quodammodo congruit. Cic. 5. Tusc.*

2 *Quæ nequaquam fallit. ait enim Arist. in lib. de anima νοῦν καὶ ἐπιστήμην ἀεὶ ἀληθεύειν. i. intelligentiam & scientiam numquam falli & aberrare à veritate.*

3 *Quia spiritus fantasticus varias inter dormiendum ob oculos ponit rerū imagines.*

4 *Diuinationem vult dicere, quæ ex intelligentiæ ac sedatæ fantasiæ copulatione emergit.*

5 *Per semen internum μεταφορικῶς animum rationis compotem intelligit.*

Vides vt ex aduerso distinxerunt disciplinarum felicitatem: Hic quidem inter vigilandum (aiunt): Ille verò inter somniandum eruditur. At vigilando quidem homo est qui docet, dormientem porrò Deus suæ virtutis fructus participem[1] facit: Ita vt idem sit discere atque obtinere. Nam fructuosum ac fœcundum reddere, amplius est etiam quàm docere. Verùm id quidem à nobis assumatur ad ostendēdam dignitatem quæ est in fantastica vita, aduersus eos qui non admittunt etiam quæ leuiora sunt in ea: vt non mirum sit, si ita intelligant illi qui propter[2] eximiam sapientiam adhærent ac dediti sunt rebus, quæ repudiatæ[3] sunt ab oraculis. Aiunt enim, Hostiis & intestinis non moueor: Hæc omnia ludicra sunt, & vt ea aspernemur suadent oracula. Qui nimirum vulgi facultatem excedunt, artes quidem rerum futurarum alij alias accipientes æquum censent eas exercere: Somnia verò despiciunt, vt rem apertam, cuius communicatio est æ-

1 *Vt Iosephum Gen. 37. & Pharaonē 41.*

2 *Ironia.*

3 *Secreta quædam Aegyptiorum & Chaldeorum intelligit: Qui futura præcinendo plerumque præscita stupenda recensebant. Cœl. Rodig. lec. antiq. li. 3. cap. 3.*

que literarũ ignaro doctóque. Quid igitur in hac ratione [1] doctus? quia amplius obtinet quàm vulgaris homo. Atqui & alia bona, & eorum quidem potius amplissima & apprimè communia proponuntur. Sole enim neque diuinius, inter ea quæ sub visum cadunt quidquam est, neque publicum magis. Quod si propriis oculis inspexisse Deum res est beata, [2] per fantasiam assequi, ad honoratiorem spectat aspectum. Si quidem ipsa sensus est sensuum: quoniam spiritus fantasticus communissimum est sentiendi organum, & corpus primum [3] animi. Sed ille quidem in interioribus latet partibus, & animalis principatum tenet, non secus atque in arce. Nam circa ipsum omnem capitis molitionem & compagem extruxit natura. Auditus autem & visus sensus non sunt, sed sentiendi instrumenta sensui communi ministrantia, veluti ianitores animalis reginæ denunciantes ea quæ extrinsecus obiecta sunt, à quibus impelluntur externi sensus.

1 *Qui in hoc plebeium & rerum inscium superat, quia docendo præsentibus, scribendo absentibus posterisque prodest.*

2 *Fantasia & sensus communis re & subiecto eadem sunt, sed ratione distinguntur: Et sensus iunctos veluti è quadam impulsione oblata extrinsecus, Cic. I. Aca. fantasiam nominat.*

3 *Arist. in li. de mundo spiritum vocat substantiam illam animatam & genitalem in stirpibus & animãtibus existentẽ & per omnia pertingentem: sed eum appellat Plat. in Sympo. animæ currum, vt anima cogitationis domicilium est.*

[1]Ea quidem fantaſia ſenſus eſt ſuis omnibus partibus abſolutus: etenim toto audit ſpiritu, totóque aſpicit, & reliqua omnia poteſt. Diſpenſat autem ſuas vires, aliam per aliud, & [2] erumpunt ex animante, vnaquæque ſeparatim, ac ſunt veluti quædam rectæ lineæ ex centro fluentes, & in centrum deſcendentes: Vna quidem omnes quoad [3] cõmunem radicem, multæ autem quantum ad progreſſum. Sanè quidem maximè eſt animalis ille ſenſus qui ex obiectis ac propoſitis inſtrumentis percipit: Diuinior autem & animo cohærentior eſt, immediatus ſenſus. Quòd ſi ſenſus corporeos propter cognitionem in pretio habemus, propterea quòd maximè ſcimus ea quæ vidimus, fantaſiam damnemus veluti ſenſum fraudulentiorem, obliti videmur, quoniam neque oculus omnia vera demonſtrat: Sed hic quidem neque oſtendit: Ille verò decipit, & præter naturam eorum quæ videntur, & per quæ cernuntur. Interuallis enim mi-

1 *Philoſophi fantaſiam ſenſum vocant communem, ad quem reliqui omnes ſenſus referuntur, tamquam ad indicem, ſicut quinque digiti ad manum connexi pertinent.*

2 *Per quinque enim ſenſus, qui vt ait Cic. prima Tuſc. ſunt quaſi animi feneſtræ, per quas etiam vitiorum eſt ad animum introitus. Hinc illud propheticum, mors intrauit per feneſtras veſtras.*

3 *Hic eſt communis ille ſenſus, qui vt ait Plat. in Theæt. per quinque organa, quaſi per meatus ab vna quadam animæ vi ſingula ſentit, & in hunc vndique è ſingulis corporis organis, vt ad centrum circuli è circumferentia lineæ, variæ paßiones influunt.*

nora & maiora ea apparent, & quæ ſunt in aqua, maiora: remus porrò fractus occurrit.

Et præ impotentia ſua oculus mẽtitur: lippiens enim conturbata & indiſtincta demonſtrat. Et quicumque ſpiritus fantaſtici [1] morbo laborat, ne exigat perſpicua neque dilucida [2] ſpectra. Quis autem eiuſdem ſit morbus, & quibus rebus lippiat & craſſior efficiatur, & quibus purgetur incorruptúſque reddatur, & in naturam regrediatur, ex [3] occulta diſce philoſophia, à qua etiam per expiationes luſtratus, diuinius euadit. Hæque inſinuationes properant, priuſquam introducat Deus ſpiritum fantaſticum. Et quiſquis eum in vita ſecundum eius naturam purum obſeruat, prompto vtitur: Ita vt hac ratione rurſum ſit cõmuniſſimus. [4] Sentit enim ſpiritus iſte animi affectiones, nec affectibus ſpoliatur per ſe, vt oſtreorũ inuolucrum. Ille quippe contentionem & oppoſitionem habet etiam aduerſus præſtantiores animi habitus affectionéſque. Veruntamen

1 *Animorum morbi vitia ſunt inueterata. Cic. 3 Tuſc.*

2 *Solent enim talia ſimulacra in ſomnis fallere mentem. Lucret. lib. 5.*

3 *Qualis eſt Aegyptiorum, myſtica nempe & ſacra, quod in Epinomide probat Plato: vnde conſtat magnos viros in Aegyptum enauigationem ſuſcepiſſe, vt tantorum arcanorum compotes euaderent: Cæl. Rhodig. ſed apud Chriſtianos diuinior efficitur animus ieiunio ac religionis rerúmque diuinarum contemplatione.*

4 *Nam præterquam quod ſeparatim ſuis angoribus & moleſtiis implicatur animus noſter, etiam corporis congruit doloribus. Cic. 5. Tuſc.*

runtamen primum ipſius & proprium vehiculum bonitate cumulati quidem, ſubtile & ætheriũ efficitur:[1] deprauati autem craſſam, ſtupidam ac terrenam induit naturam.

Is enim prorſus intercapedo eſt rationis eiuſdémque priuationis, & incorporei ac corporis, communiſque amborum terminus, & per hunc diuina cum infimis coëunt. Et hoc pacto arduum eſt naturam eius philoſophia deſignari. Mendicat enim quidpiam ſibi congruum ab vtroque extremorum tanquam à vicinis, & vnica natura ea quæ vſqueadeo ſemota ſunt imaginatione concipit. Latitudinem quidem certè imaginatricis eſſentiæ effudit natura in multas partes rerum. Deſcendit verò vſque ad animantia, quibus nequaquam adeſt intelligentia, neque tunc vehiculum eſt animæ diuinioris, verum ipſa à ſuppoſitis facultatibus vehitur, ea [2] pecudis ratio cùm ſit, multáque per ipſam animalia ſapiunt, [3] necnon commodè agunt. Atqui purgatur etiam in rationis expertibus, vt introducatur

1. Hinc Perſ. 3. ſat. Non pudet ad morem diſcincti viuere Natte? Sed ſtupet hic vitio.

2. Brutis enim ſolus adeſt ſpiritus fantaſticus.

3. Vt equi generoſi, canes obſequioſi, apes in mellificio, formicæ in ſua repub. araneæ in texendo, aues in nidificando.

quidpiam excellentius: Et cuncta dæmoniorum genera quoad essentiam creata sunt tali vita. Illa enim secundum totam ipsorũ essentiam, & imaginaria sunt, & in his quæ fiunt fantasia[2] ducuntur.

Homini verò multa per ipsam & solam vel cum alio[3] plura imaginatione adsunt. [4] Intelligentias enim haud visionis expertes constituimus, nisi [5] quispiam in minimo temporis puncto tandem contrectationem habuerit formæ materiæ expertis. Sed super fantasiam prospicere, non minus arduum est quàm beatum. Intelligentia enim (inquit Plato) & prudentia res est exoptanda ei qui etiam ad[6] senectutem peruenerit, imaginatione priuatam dicens. Quòd hæc quidẽ obiecta & mortalis vita[7] imaginationis est, vel intelligentiæ imaginatione vtentis. Is quippe spiritus animalis quẽ etiã animũ spiritualem appellarunt felices[& in philosophia præstantissimi] & Deus, & genius varius, & simulachrum fit, & pœnas in eo luit animus. Nam inter oracula

1. Acatharta dæmonia inter fantastica numerat, quia se quidem per sese cognoscunt: alia vero per insitas rerum imagines, quibus sunt refertissima. Hermolaus Barbar.

2. Solus enim visibilium atque inuisibilium creator deus secreta cordiũ nouit.

3. Cum ratione.

4. Mens & intelligentia synonyma sunt: differunt tamen vt lumen & lux.

5. Vt Plato cùm in Phædone ideas esse asseuerat.

6. Nam ab initio anima cùm mortalis corporis vinculis includitur, amens efficitur. Sed postquã nutritionis & augmenti riuus lenius minùsq; fluit, tunc homo prudentior efficitur. Plato in Timæo.

7. Quæ opinione clarior est, & scientia obscurior.

Et vt se habet essentia ad generationem, intelligentia ad opinionem, scientia ad fidem, ita cogitatio ad imaginem. Plat. 7. de Repub.

conuenit de ipſo cum ſomniorum viſionibus, eam quæ illic eſt animi vitam comparantia. Et philoſophia adſtipulatur primas viuendi rationes ſecundarum pręparationes eſſe, & optimi habitus in animis eum extenuantis, & abſtergentis ſqualorem deterioris.

Itaque naturalibus attractionibus vel ſublimis eleuatur propter calorem & ſiccitatem: Et is *vtique ſpiritus eſt animi [1] alarum iunctura. Et illud rurſum, Siccus eſt animus ſapiens, nihil ad aliud Heraclito tendere coniectamus; aut craſſus & humidus effectus terræ cauernas ingreditur, naturali propenſione deliteſcens & irruens in ſubterraneam regionem. Locus enim iſte madentibus ſpiritibus eſt conuenientiſſimus. Et illic quidem infelix atque [2] laborioſa vita eſt. Licet autem labore, & tempore, & aliis vitæ generibus, vt animus purgatus emergat. Exorta enim anima ambiguum curſum currit, & vicibus alternis verſatur cum peioribus ac melioribus. Quam mutuatur quidem è glo-

* *Vel*, hæc purgatio ſpiritus phantaſtici. Nic.

1. *Virtus quæ in veri inueſtigatione, & ea quæ in actione conſiſtit, duæ ſunt animi alæ, vel intellectus & voluntas geminæ ſunt illæ Platonicæ animi alæ, quarum adminiculo ad Deum volare poteſt, quoniam per eas volat ad omnia.*

2. *De his animorum cruciatibus vide Plat. decimo de Repub. in narratione Eri viri Armenij.*

bis cœleſtibus principatum obtinens animus deſcendens, atque illam veluti nauiculam ingreſſus, cum craſſo corporeóque mundo commercium habet. Hoc autem ſuſcipit certamen, vt aut ſpiritum fantaſticum ſibi conciliet, aut nequaquam ſimul cum eo maneat.

Vix enim, ſed fieri poteſt vt dimittat minimè parentem. Haud quippe fas eſt perſpectis [1] expiationibus diffidere. Turpis autem reditus fuerit eis qui non reddunt alienum, ſed circa terrã relinquunt quod deſuper emendicauerunt. Et iſtud quidem vni & alteri munus fuerit expiationis ac Dei. Spiritus porrò fantaſticus eam naturam habet, vt ſemel inſito in ſe animo aut adiumẽto ſit, aut eum trahat, aut trahatur ab eo: Prorſus tamen cum eo viuit, vſque ad reditum vnde venit.

Itaque improbitate onuſtus pariter attrahit animum qui indulſerit ipſi vitiorum grauitatè onerari. Et iſtud [2] eſt ſeminarium quod vaticinia territant in nobis, rationis capax: Neque

1. Eas (ni fallor) expiationes intelligit, quibus ſpiritus fantaſticus purgatur, nimirum ſobrietate, ieiunio, inuidiæ carentia, charitate non ficta, ac rerum æternarum contemplatione, cuius cùm duæ ſint partes, vnam in iudicio, alteram in imperio aſſignat Plato, in ciuili vel de regno.

2. Huius ſeminis intellectualis vis tametſi corpori vnita ſit, non tamen educta eſt de potentia materiæ, ſed à Deo immortalis de nihilo creata eo tempore quo infunditur in humanum corpus. Sunt & aliæ naturæ intellectuales, quæ nõ cõmunicant in materia cum corporalibus, nam materiæ expertes ſunt, & intelligentiæ abſtractæ dicuntur, vt angeli, & figuræ mathematicæ, formæ ſcilicet à materia ſeiunctæ.

deorſum inclineris in mundum obſcurum, cui gurges profundus perpetuo infidus, ſubſtratus eſt, atque tartarus vndecunque caliginoſus, ſordeſcens ſpectris & imaginibus geſtiens, demens. Menti enim quomodo honeſta res eſſet vita ſtolida demenſque?

Simulachro verò, tūc propter quandam ſpiritus concretionem, ima regio conuenit. Simile [1] quippe gaudet ſimili. Quod ſi vnum ex ambobus copulatione fit, mens etiam immerſa fuerit in voluptate. Atqui malorum hoc extremum eſt, præſens malum minimè ſentire. Iſtud enim eſt neque emergere quærentium, veluti [2] ſcirrhus, eò quòd non amplius ægritudinem adfert, nec admonet ſalutis recuperandæ. Et ob id res eſt ſublimis pœnitentia. Qui enim improbat ea in quibus verſatur, fugam molitur. Et expiationis pars maxima [3] voluntas eſt. Huic enim porrigunt manum facta & dicta: Sed ea abſente ignaua eſt & inanis omnibus expurgatoria ceremonia, mutila videlicet atque

Chaldaicum oraculum.

1. Ariſt. 9. Eth. ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον.

2. Scirrhus inſenſibilis curam non recipit: & quicquid cohæret agglutinatúmque vehementius eſt σκῖῤῥος dicitur. Gal. 14. therapeut. interpretatur ὄγκον σκληρὸν ἀνώδυνον. i. tumorem durum citra dolorem, ſed ita vt adſit ſenſus aliquis.

3. Voluntas enim Hermolao Barbaro, ratione conſtans ſuarum actionum eſt domina, & ad res fugiendas perſequendáſque accommodatior quàm vis contemplatiua.

priuata maximo[1] fœdere. Ea de causa hîc & illic vtilitatem maximam atque optimam rerum ordini temperies præbet, tristitiam ex aduerso introducens, ac temerario gaudio animum expurgans.

Et quæ vltra meritum nuncupantur calamitates, magna ex parte conferunt ad abrogãdum affectum quem habemus in res terrenas atque caducas. Ac prima prouidentia[2] earum gratia sese applicat & adiungit prudentibus, per quas incautis & improuidis minimè creditur. Vt nequaquam detestetur materiam animus in nullum malum circa res caducas impingens. Quapropter vulgares fœlicitates putare fas est insidias contra animos excogitatas ab inferorũ præsidibus. Itaque quodnam sit quidem exeuntibus obliuiosum poculum, alius dicat. Ingresso autem in vitam animo[3] lethæum præbetur poculum, quæ hîc in terris est suauitas. Paupercula siquidem & indotata in primam vitam sponte descendens anima mercedis loco seruitutem[4] induit. Sed

1. Fœdus vult dicere quod est inter voluntatem & intelligentiam, quia voluntas animum & corpus mouet ad operandum, vt ad res desideratas accedant.

2. Quia animus mundanis agitatus procellis quàm quietus dulcisque sit in deo portus rectius intelligit.

3. Hinc Plato in Phædone ait, nostrã scientiam nihil aliud quàm reminiscentiam esse, eo quòd anima ante & post corpus viuat.

4. Verbo seruili vsus est ad maiorem emphasim, quòd anima voluptatibus indulgens, & rerum materia constantium oblectatione capta, seruire dicatur.

iſtud quidem erat quoddam naturæ mundi miniſterium explere, huícque ſatisfacere, diuinis Adraſtiæ inſtitutis ita imperantibus: Donis autem materiæ illuſa conſimili affectu incitatur, quo liberi ingenuíque ad præfinitum tempus precio conducti, qui ancillæ præſtanti forma irretiti, manere eligunt, amicæ domino inſeruire ſpondentes. Ac nos videmur materiæ naturæ conſentire, quòd pulchra ſit & elegans, cùm tandem delectationem capimus ex profunda [1]opinione propter aliquod ex his quę videntur eſſe tum corporis tum fortunæ bona. Ea porro noſtram aſſenſionem ſchedulam occultam admittit, etſi diſcedere tanquam liberi ſtatuimus, profugos ac deſertores eſſe denunciat, & reducere contendit, ac veluti fugaces retinet, ſchedulam recenſens. Tunc igitur vel maximè animus & robore indiget & adiutore Deo. Vt non triuiale ſit certamen, pactum eius irritum facere, forſitan verò hoſtiliter perrumpere. Pœnæ námque materiales tum certè etiam

1. Nam cùm omnia nobis incerta ſint, veritáſque demerſa deliteſcat, meritò opinio dominatur, vincítque naturam, & cum inſcitia vitæ inoleſcit: quod probatur ex Arceſilæ & Carneadis ſententia, qui dicere ſolebant percipi nihil poſſe.

ſine fatali neceſſitate mouētur aduerſus cōtumaces ad ipſius leges. Atque hæ profectò ærumnæ ſint, quas Herculem ſuſtinuiſſe aiunt diuina verba. Ac ſi quis alius libertati conſtanter animum adiecit, donec illuc ſpiritum [1] fantaſticum tranſmittat, quò minimè perueniunt naturæ vires. Quod ſi intra cancellos & limites materiæ ac naturæ tumultus fuerit, attrahitur, & opus eſt acerbioribus concertationibus. Iam enim velut [2] aliena deſpicit, ac ſi de aſcenſu deſperent, pœnas exigit illius conatus: & porrigit vitam non ex ambobus adhuc [3] doliis, quæ Homerus latenter innuit partes eſſe duas materiæ.. Et Iupiter ipſi in illo verſu, Deus eſt materiæ princeps, duplicis doni fatalis diſpenſator. A quo bonum quidem nunquam mittitur non [4] permixtum. Iam verò quiſpiam ſimplicis cuiuſdam rei deterioris eſt particeps effectus. Prorſus autem omne vitæ inſtitutum in errore eſt, qui minimè poſt primum lapſum recurrit. Obſerua igitur in quanto interuallo ſpiritus hic fantaſticus

1. Qui ante muneribus materiæ corruptus erat.

2. Vitia e materia concreta intelligit, quæ lōgè remota ſūt à natura animi, quæ ſimplex eſt, & vniformis.

3. Homerus enim Iliad. vltimo ait Iouem ex duobus doliis, bona & mala hominibus diſtribuere. Sed carpitur à Platone. de rep. quòd Deus ſolus quidem bonorum cauſa dicendus ſit. qua de re vide Plutarch. in Opuſculo de animi tranquillitate, & de exilio.

4. Omnis enim commoditas, vt dicitur, ſua fert incommoda ſecum. Ideòque Iuuenalis Sat. x. docet ſtulta eſſe hominum vota, qui mentis affectibus inſeruientes à diis multa petūt, tanquam bona quæ eis maximè ſunt pernitioſa. Omnibus in terris &c.

sticus versatur. Declinante quidem deorsum animo, dicebat oratio, quoniam opprimitur atque subit quousq; incidat in tenebrosum & vndique caliginosum locum.

Sed ascendentem etiam comitatur quoad sequendi facultas sit. Et sequi potest donec in maximè oppositum & omni ex parte fulgentem locum venerit. Audi etiam hac de re vaticinia dicentia: Non in eminenti " ac sublimi loco materiæ purgamen- " tum relinquet: sed vt simulachro pars " est in loco vndique fulgente. Is au- " tem controuersiam habet cum vndique caliginoso. Nam quid acutius in his versibus quispiam cernere posset? Non enim solum in globos cœlestes reducere videtur illinc venientem naturam, sed si quid ex ignis & aëris summitate in imaginariam naturam descendens attraxit, antequam terrenum induerit tegumentum, & istud, aiunt, cum validiori parte transmittit. Nam materiæ excrementũ haud fuerit diuinum corpus. Atque à ratione non abhorret, vt ea quæ com-

munẽ habent naturam, & in vnũ tẽdũt, nequaquam omnino laxata ſint, & maximè quibus regio eſt finitima.

Quemadmodum ignis ſubinde ſubſequitur corpus orbiculare, & non ſicuti terra eorum quæ ſunt extrema. Quodſi [1] præſtantiora deterioribus obedientia ex conſortio detrimẽtum percipiunt, & confert ad materiam corpus [2] incorruptum & inuiolatum, velut ei * vendicatum cui conceſſum eſt in illo congreſſu imperium obtinere: fortaſſis etiam inferiora minimè reluctantia contra animi efficaciam, ſed morem gerentia, cúmque ſequentia, ac mediam [3] naturam nullatenus diſtractã prębentia, vnà cum primæ naturæ principatu, ætheria efficiuntur ſimúlque tranſmittuntur, ſi non ad ſummum vſque, at ſaltem præteruehuntur ad elemẽtorum apicem, & locum experiuntur vndique luminoſum. Obtinent enim (aiunt) quandam in eo portiunculam, hoc eſt in gradu quodam loci orbicularis verſantur. Verùm hactenus iſta quidem dicta ſint de parte quæ ab ele-

1. Vt tria animæ vehicula: primum quidem immateriale, & ſimplex. 1. cæleſte: alterum materiale & ſimplex. 1. aërium: tertium materiale atque compoſitum, hoc eſt ex elementis quatuor conſtitutum. Cæl. lib. 17. cap. 16.

2. Animum adeo immortali de nihilo creatum corpus inuiolatum appellat, quòd ſimpliciſsimum ſit ac pertenue, & aſpectum tactúmque effugiat: ſicuti angelicum corpus omnis eſt materiæ expers. Cæl. lib. 2. cap. 5.

3. Quandoquidem ſpiritus fantaſticus mediam obtinet naturam inter animum & corpus: quia vt in mundi harmonia vnus ſit abſque intermiſsione totius naturæ contextus, animi noſtri per totam ſubſtantian permaneant neceſſe eſt, & per particulas quaſdam mutentur. Permanent quidem vt angeli penitus immortales, quorum neque ſubſtantia ipſa

mentis procedit, & credere fas eſt & non credere.

Sed fieri omnino nequit, quin animo, prout eius natura poſtulat, reuertente, illinc veniens corporea ſubſtantia è cadauere exurgens ſimul eleuetur globíſque cæleſtibus coaptetur, id eſt veluti in familiarem naturam prouehatur. Extremæ autem hæ ſunt duæ ſedes ſortitò obtingentes, vna quidem vndique caliginoſa, altera verò omni ex parte luminoſa, beatitudinis & miſeriæ poſtrema occupantes. Quot porrò putas interim regiones in mundi latitudine partim luminoſas, partímque tenebroſas, in quibus omnibus viuit animus cum hoc ſpiritu fantaſtico,[1] formas & mores vitámque commutans? Surſum vtique recurrens ad propriam & conuenientem generoſitatem, veritatis promptuarium eſt. Liquidus enim, ſyncerus, lucidus atque intemeratus eſt, Deus cùm ſit, necnon propheta ſi velit. Delapſus autem caligine obducitur, & inordinatus efficitur, mentitúrque. Nam caligo & nequitia

commutatur, nec vlla vis, nec operatio. Atque adeo communis illa cum cæleſtibus contemplatio, voluntas & actio animorum noſtrorum ſubſtantias coegit eſſe perpetuas. Potentias verò aliquas ſiue operationes quãdoque ceſſaturas, indicat nobis illa cum brutis mortalibus operatio, cultui mortalis corporis penitus mancipata.

1. Ex Platonis ſententia hoc dicit. Plato enim in Phædone ait, quòd anima quæ pura diſceſſerit, corporeum nihil ſecum trahens, ad aliquid ſibi ſimile, diuinum, immortale & ſapiens abit. Quæ verò quidpiam graue, terrenum & viſibile ſecum trahit, ab eo grauatur, & ad viſibilem trahitur locum, metu inuiſibilis, & (vt fertur) circa monumenta ſepulchráque verſatur. Et qui ventri dediti per inertiam atque laſciuiam vitam egerunt, neque quidquã

ſpiritus haud eſt capax, efficaciæ rerum verarum.

In medio verò cùm ſit, in quibuſdam hallucinatur, alia autem aſſequitur. Diſcernere potueris hunc in modum etiam naturam dæmonicam in quolibet ordine. Nam aut prorſus aut propemodum vera loqui, diuinum eſt, aut non procul à diuinitate. Quod autem eſt fallax in vaticiniis nunquam quieſcit inuolutis in materia rebus indulgens & ambitioſum. Ita enim induit & officioſé colit ſubterraneum ſemper Deum & antiquiorem genium, & inſilit, occupátque locum naturæ capaciori paratum & accommodatum. Et animi qui in homine eſt conſtitutionem hinc deprehendimus, cui ſpiritus fantaſticus ſyncerus¹ eſt & ſuis finibus contentus, & inter vigilandum ac ſomniandum veras rerum imagines admittens, is promiſſionem habet, quantùm attinet ad animi habitum, præſtantioris ſortis. Ac potiſſimum phantaſmatibus & viſis quæ promit & circa quæ verſatur, quando mini-

penſi pudoríſque habuerunt, decens eſt aſinos ſimiliáque ſubire. Qui verò iniurias, tyrannides, rapinas præ cæteris ſecuti ſunt, in luporum, accipitrum miluorúmque genera par eſt pertranſire.

1. *Vnde rectè colligit Cælius lect. ant. lib. 17. cap. 3. Mentis alienationem duobus modis fieri, quia aut non bene imaginamur, aut parum rectè recordamur. Porrò imaginandi potentia oblædi ſola poteſt, aliis incolumibus, ſicuti Theophilo medicæ artis perito contigiſſe nouimus, qui cùm decubuiſſet æger in angulis domus occinentes arbitrabatur adeſſe tibicines cantoreſque. Cúmque conualuiſſet integra mente narrabat omnia, quæ in ægritudine concepiſſet. Vnde aliquando conſtat diſcretiuam vim ac memorialem gradum tenuiſſe, imaginatione tantùm oberrante.*

mè ab alio extrinſecus turbatur, in quali conſtitutione ſit animalis ſpiritus ſolerter & ingenioſè quærimus, ſuggerente philoſophia ad id exiſtimationem ac iudicium, quemadmodum educari & inſtitui debeat ipſe, & curandum ſit ne vnquam oberret. Educatio autem optima fuerit, iuxta conuenienti ſpeculatione intelligentem operari, atque omnino pro viribus intellectualem vitæ[1] procinctum fieri, inſolentium ac proteruorum ſpectrorū conatus preueniendo. Iſtud enim eſt ad præſtantius deflecti, ac deterius tolerare non poſſe, quatenus neceſſe ſit tantummodo hominem cum eo commercium habere. Sagax autem & intelligens mentis conceptus res eſt maximè reſecans ea quæ conſpirant aduerſus ſpiritum. Nam ipſum latenter ſubtiliorem reddit, & in Deum attollit. Idoneus porrò effectus trahit affinitate ſpiritum diuinum ad animi commercium. Veluti quando præ craſſitudine & concretione in arctum ſimul redigitur minórque euadit, quàm vt impleat loca

1. Verbo caſtrenſi vtitur, quia aduerſus dæmonum inſidias tanquam in procinctu ſtandum eſt: vita enim hominis militia eſt ſuper terram, ait patientiæ ſpeculum.

ei designata à Prouidentia, quæ hominem formauit:

1. *Quia periculosius fuisset contactus duri ad molle: cerebrũ, vt tradit Arist. primo historiæ animal. habet suo in medio plerisque cauum quoddam exiguum.*

[1] Isti verò sunt cerebri cuniculi seu concauitates: tunc natura in ipsis rebus inane & vacuum non sustinente, malignus atque versutus intromittitur spiritus. Ecquid non patiatur animus si malorum depellendorum fiat contubernalis? Nam loca ob id ipsum comparata vt sint spiritus, natura est vt aut deteriore aut præstantiore plena sint. Verùm illud quidem impiorum est pœna, quod in ipsis diuinum est contaminantium: Hoc verò pietatis extremum, aut quod in extremi propinquo est. Sanè quidem nos de somniorum diuinatione verba facere exorsi, quò minimè ipsum homines aspernentur, sed colant, quippe quæ vitæ commoditatem exhibet, ea de causa naturam phantasticam curiosè tractauimus. Ex hac porrò disputatione quod quidem hîc vtile est, minus elucescit: sed spiritus incolumis præstantior est fructus, & animi institutio, & sanctus omnino prouentus. Itaque etiam pietatis quædam

meditatio eſt, tentare vt in nobis ipſe ſit fatidicus.

Ac iam nonnulli talis ſpiritus ergo præſcientiæ deſiderio ineſcati,[1] menſámque turgidã deponentes, diuinam omníſque faſtus expertem ſibi propoſuerunt, & cubile ſtudioſè ſectati ſunt nitidum & incontaminatum. Nam quatenus quiſpiam ſuo lecto tanquam tripode Pythio vſurus eſt, multum abeſt vt traducat in eo noctes proteruitatis ac petulantiæ teſtes: ille verò & Deum adorat & deprecatur. fit autem ingens & amplum id quod ſenſim componitur, & quod propter aliud efficitur in maius deſinit, vt qui procedunt Dei amore detineantur, eíque tandem coniungantur qui ad id primùm animum non intendebant. Nequaquam igitur rationi congruum fuerit rerum futurarum pręcognitionem contemptui habere, ad res diuinas tendentem, & id quod propemodum conſiſtit in hominis viribus precioſiſſimum obtinentem. Neque enim propter id minoris æſtimanda quæ hîc eſt vtilitas,

1. Pythiam vel Delphicam menſam, ſeu cortinam (ni fallor) intelligit, quæ quoniam tribus fulciebatur pedibus, tria vaticinationis tempora ænigmaticè ſignificantibus, eam tripoda vocarunt. Innuit ergo ex ſapientiæ penetralibus certiora depromi oracula, quàm ex tripode Apollinis. Hinc Lucretius lib. 1. Quanquam multa bene ac diuinitus inuenientes, Ex adyto tanquam cordis reſpõſa dedere Sanctiùs & multò certa ratione magis, quàm Pythia quæ tripode Phœbi lauróque profatur.

animo cum Deo commercium habente, quia ad contactum præstantiorum admittitur.

Haud quippe erga animans est inflexibilis, & e[1] specula prospicit inferiora valdè apertius, quàm cum ipsis versans, atque commixtus rebus deterioribus. Quocirca quandiu tranquillus manet, dabit animanti simulachra eorum quæ eueniunt. Et id est quod prouerbio fertur, descendentem minimè descēdere, quando præstantius ac nobilius supra modum curam gerit inferioris. Hanc[2] ego in rebus futuris prudentiam mihíque ipsi efflagito præsto adesse, liberísq; meis relinquere, ad quam non opus est, vt ij qui collectis sarcinis ad viam se accingunt, lōgum iter faciant, vel nauigatione peregrina vtantur, tanquam ad Apollinis Pythii, & ad Iouis Ammonii oracula, sed sat est lautis manibus precibúsque peractis dormire. At* Penelope irrigata posteaquā vestibus castis corpus induerat, Mineruam deprecabatur. Ita poscemus somnum, quemadmodum fortassis

1. Animus siquidem (vt tradunt Aegyptij) à corpore omnino seiunctus omnem locum comprehendit, & tria in vnum tempora complectitur. Nam cum se in suam naturam recipit, numini coniungitur, omnes & locorum & temporum terminos comprehendenti.

2. Notat Ammianus Marcellinus talium somniorum fidem ratam & indubitabilem fore, ni coniectura ratiocinantis fallerentur. Quare Eustathius somnia vocat διοπέμπτα ex Ioue missa, in illo Homeri versu, καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν, ex deo sunt: proinde ab Homero dicitur somnium Διὸς ἄγγελος Iouis nuncius.

* *Hom. Odyss. 17.*

Homerus

Homerus poposcit. Et si id oneus fueris, Deus absens præsto est.

[1]Quando videlicet etiã nec eas res molientibus quotidie auxilio est solùm cõsopitis. Atque ea tota est occupatio ceremoniæ, cuius gratia nullus adhuc paupertatem suam lamentatus est, velut eo pacto inferiorem habeat conditionem quàm diues. [2]Quædam tamen quæ præscientiæ ac vaticinii causa fiunt ceremoniæ, antistites, quemadmodum Athenienses triremium præfectos, ê maximo censu eximunt: atque opus est copiosis impensis, maximê verò etiam fortuna ad conuehendam herbam Cretensem, & pennam Ægyptiam, ósque Ibericum, atque adeò siquid prodigiosum in terræ marísque abditissimis locis enascitur & enutritur in occidente necnon oriẽte Sole. Dicuntur enim hæc & talia multa de his qui artificiosê externam præsagiendi facultatem exquirunt, ad quas res quisnam priuatus ex suis rebus partis compar fuerit? Insomnium autem profectò cernit & qui in quin-

1 Deus si quidem nihil intra causam molitur in natura infimo diuinitatis instrumento: nósque somno sepultos nostræ salutis, honoris & incolumitatis quibusdam signis ac visionibus certiores facit.

2 Gentium superstitionem sale Attico defricat Synesius, quippe qui in nugis cacodæmonum astutia inuentis suam substantiam temerè & inconsultò dilapidabant.

gentorum, & qui in trecentorum [1] Medimnorum censu est: Sed & [2] Zeugita nihilominus qui in propagando prædio remotissimo occupatur vt parcam & sobriam traducat vitam. Sed & remex, & operarius eodem modo, & qui æquali ciuitatis iure vtitur, & qui soluit [3] colonarium. Personarum enim non est acceptor Deus, quisnam sit [4] Eteobutades, vel qui [5] Manes sit nouitius. Eiusdémque diuinationis popularis solertia, apprimè humana est: Ac simplicitas & frugalitas magnopere studiosa: Et quod minimè violentum, pium ac religiosum est: & quod vbicunque præsto est, miniméq; assumit aquam, vel saxum, vel terræ voraginem, istud quidem diuinissimum est. Quòd autem neque vllo negotio occupemur propter huiusmodi diuinandi rationem, neque auferatur ab ipsa tempus opportunum, id etiam primum recitatu dignum est. Nam nemo relinquens quidpiam commodi & in manibus, domum se contulit dormiturus, conuentione facta ab ipso cum insomnio:

1. Medimnus, vt ait Suid. 6. modios continet, 72. sextarios, vel 108. libras. Censet tamen Bud. in 5. de Asse & part. eius ex Polybio, Medimnum pro eo dictum, quod Latini modium dicunt. Sicula mensura quinquies modium capiebat. Sed Attico & Romano more probat Medimnũ senos modios cepisse.

2 Zeugita tertij census homo in Solonis Repub. Plutarch. in vita Solonis.

3 Quod erat 12. drachmarũ pro viro, & pro fœmina 6. ait Suid.

4 Id est ex familia Butæ, qui sacerdotiũ habuit apud Athenienses, cuius posteri Butadæ dicuntur, Suid.

5 Mancipij fatui nomen apud Aristophanem in Auibus.

inſomnio : Sed tempus quod neceſ-ſum eſt animanti elargiri ob naturam, haud ſufficiente nobis eadem ad efficaciam vigilantiæ, illud venit hominibus, adducens id quod certè communi prouerbio fertur, negotio [1] maius eſſe quod perfunctoriè adiũgitur, accumulans rem expetendam neceſſariæ, & optimam viuendi rationem vitæ. At præcognitiones quidem quæ ex diſtinctis inſtrumentis prodeunt, optabiles fuerint, ſi ampliorem vitæ partem ſibi vendicantes, quidpiam concedant cæteris omnibus neceſſitatibus & actionibus. Quarum ſi cuipiam impenſè deditus fueris, moleſtè ad eam à diuinatione iuuaberis. Neque enim eſt cuiuſlibet temporis, neque loci cuiuſuis, ceremoniarum apparatum admittere, nec quæuis facilitas circunferendi inſtrumenta ad ipſum neceſſaria. Vt enim aliud nihil dicam, ſed ea ob quæ nuper anguſtior effectus eſt [2] carcer, rhedæ ſunt aut concauæ nauis onera. Quibuſcum aliæ ceremoniarum partes tranſcriptores viri ſunt & teſtes.

1 *Vnde Agathon apud Athenæum* τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα, τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα. *i. Quod obiter faciendum erat, ei præcipuam operã impendimus: quod præcipuæ eſt operæ, id obiter curamus.*

2 *Ex hoc loco patet Syneſij tempore magicas ac necromãticas quorundam paganorum vanitates viguiſſe, in quas tamẽ vt irritas, inanes ac deteſtabiles, à magiſtratu animaduerſum eſt.*

Nam ita dictu verius eſt, noſtræ ætatis tempore multa per legum miniſtros indicante, à quibuſdam reuelata populi profani fuerunt ſpectacula & auditiones. Ergo præterquam quòd miſerabile eſt & abſurdum talibus incumbere rebus, vt quidem mihi perſuaſum eſt, etiã Deo [1] odioſum. Nam ſi quiſpiam vltrò minimè præſtoletur, ſed vexatione ac molitione ſollicitet, ſimilis eſt violentiam adferentibus. Quod neque ſi fiat inter homines, legiſlator inultum dimiſit. Proinde vltra hæc omnia, quæ certè difficilia ſunt, his qui hunc in modum futurum inquirunt aduenit etiam vt actio eorum irrita fiat, & vt peregrini aliquò profecturi tanquam huic arti repudium mittant. Opus ſi quidem haud exiguum eſt quoquo verſum conuaſare viatica ad eam idonea. Verùm diuinationis quidem eius quæ per ſomnium fit, vnuſquiſque ſibi eſt inſtrumentum. Ita vt neque volentibus fas ſit [2] oraculum deſerere.

Sed & cum manente vnà ſe domi continet, & cum peregrinante vnà

1 Vnde præceptum illud eſt Deuteron. 18. Nec inueniatur in te qui luſtret filiũ ſuum aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos ſciſcitetur & obſeruet ſomnia atque auguria: nec ſit maleficus nec incantator, neque qui Pythones conſulat nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem, omnia enim hæc abominabitur dominus. Vide etiam, 20. Leuit.

2 Diuinitus infuſam adhortationem intelligit, qua Deus puris caſtíſque mentibus inter dormiendum vigilandúmque ſe communicat. Confirmat enim Lactãtius lib. 2. de Origine erroris cap. 17. Aſtrologiam, auſpicia, auguria, & oracula eſſe dæmonum inuenta, quorum ſit tenebras offundere, & veritatem caligine obducere.

oberrat, ſimul militat, in eadem publica functione verſatur, & vnà agriculturæ dat operam, ſimúlque negotiatur. Eam neque leges malignæ ciuitatis prohibent, neque ſi velint, poſſent. Nam aduerſus illos qui eam in vſum conuertunt, reprehenſionem non habent: Ecquid enim dormientes perperam & iniquè agimus? Neq; tyrannus edixerit, ne qui ſint ſomniorum obſeruatores, non profectò, niſi etiam ſomnum & quietem ex imperio abdicauerit. At iſtud quidem inſipientis eſt, eò quòd rem in viribus humanis minimè ſitam decerneret: impii etiam, quandoquidem repugnantia & Deo atque naturæ præſcriberet. Eundum eſt igitur ad ipſam & mulieri & viro, & ſeni & iuueni, & pauperi ac opulento, & priuato & magiſtratui, & vrbano & agreſti, & mechanico & oratori: non ſexum, non ætatem, non fortunam, non artem excludit.

Cunctis vbiuis adeſt, Prophetiſſa prompta, ſtrenua conſiliorum moderatrix, taciturna, ipſa ſacrorum prin-

ceps atque myſteriorum gnara ad bonum quidem nuncium perferēdum. Ita vt eum ampliori afficiat voluptate qui eiuſdem fructum præripuerit. Ad ſignificandum autem quod peius eſt, vt id auerſetur procúlque repellat. Eſt enim quatenus ſpes [1] hominum genus paſcit, fructuoſa atque ſuauia porrigit, & quicquid præcautionis vtilitatíſque terror occupat, id omne ineſt in inſomniis, atque à nullo ita ſperare incitamur. Quanquam ſpeï vehementia hunc in modum celebris ac ſalutaris in natura eſt, vt dicant elegantes ſophiſtæ, homines ne viuere quidem optaturos, ſi ſe haberent vt ab initio: Defatigarētur enim propter ærumnas vitam circumuenientes, ſpem niſi ipſorum in naturam infudiſſet [2] Prometheus perſeuerantiæ remedium cuius patrocinio defenſi fideliùs exiſtimant id quod ſperatur, eo quod in cōſpectum venit.

Spes autem hæc tantas habet vires, vt vinctus in laqueis, quando animi voluntati ſperare indulget, & ex vinculis eruitur, & in expeditionem proficiſcitur

1 In ea tamen cautio eſt adhibenda, quia, vt aiebat Cato, quæ magna ſunt, ea puſilla facit, quæ puſilla prorſus tollit. Plutarch.

2 Pandora ſiquidem priuſquam cum aliis euolaret, hominibus vt eos aſſiduè vexaret, ſpem ſolam in dolio obturato reliquit, vt hæc eſſet humanarum miſeriarum ſolatium & lenimen, Heſiod. in operib. μούνη δ' αὐτόθι ἐλπὶς, ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισιν ἔνδον ἔμεινε, πίθου ὑπὸ χείλεσιν, οὐδὲ θύραζε.

fiſcitur

ficiſcitur, & mox[1] duplaris efficitur miles, paulatímque manipuli ductor, deinceps Imperator, & vincit & ſacrificat, & coronatur, & ei adponitur menſa, ſi quidem velit[2] Sicula, ſi autem cupit, Medica. Ac certè pedum in vinculis detentorum obliuiſcitur, quandiu vult eſſe imperator. Quanquam id omne, viſio eſt ſomniantis, & vigilantis inſomnium. Nam in eodem ſubiecto vtrumque conſiſtit, in fantaſtica vt pote natura, quæ cùm nos ſimulachra fingere volumus, vnum hoc exhibet fructuoſum: vitam noſtram hilaritate delinit, animúmque ſibi blandimentis ſpei errantis concilians, eam reuocat à moleſtia ſenſuum. Quando autem ſuo iure nobis ſpem obiicit (iſtud verò fit dormientibus) pignus habemus à Deo ſomniorum promiſſum.

Ita vt iam quiſpiam animum inſtruens ad vſum rerum maiorum, quas eidem propoſuit inſomnium, geminum conſequitur lucrum, & lætitiam ante factum, & ſapiētem vſum eorum quę iam aduenerunt, eò quòd

1 *Nam vt illi qui feras venantur, ſpe capiendi libenter laborant, ita qui bona ſpe ducuntur, lætantur, vt ſibi, patriæ, ſuiſque amicis proſint. Xenoph. in dictis Mem. Socrat.*

2 *Luxus redundantem menſam innuit: Nam vt olim erant opibus florentiſſimi, ita voluptatibus ac deliciis addictiſſimi.*

antea his de rebus conſideratum eſt, tanquam ad ipſius vitam pertinentibus. Et ideo quam Pindarus ſpem in cælum euexit de viro beato verba faciens, quòd vtique dulcis cor augens iuuenum nutrix ſpes ei comes eſt. Quæ maximè mortalium verſatilem animum gubernat. Dixerit quiſpiam non dici de ea, quæ eſt [1] vigilantis, quandoquidem fallax eſt & captioſa, quam nobiſmet ipſis fingimus. Verùm id omne à Pindaro dictum eſt de laude breuis inſomniorum partis. Proinde eorum diuinatio ingenioſè perquirens id quod apparuit ſpem certiorem adfert: vt minimè cenſeatur deterioris generis eſſe. Sed Homeri Penelope duplices ſomniorum conſtituit [2] portas, fraudulentámque facit dimidiam ſomniorum partem, eò quòd in ſomniis induſtria non erat. Nam ſi artem ad ea ſpectantem caluiſſet, omnia per cornua exhibuiſſet. Quocirca ab Homero introducta eſt conuicta & inſcitiæ obnoxia quoad ipſum certè viſũ, cui intempeſtiuè diffidit. Anſeres quidem

1 Spes enim eſt vigilantium ſomnus: & qui amãt ipſi ſibi ſomnia fingunt. Sed ſic parati eſſe debemus, vt quicquid παρὰ γνώμην acciderit, nihil animo ſit nouum, ait Demoſt. 1. Olynth. Nam fruſtratio ſpei, & alius euentus quàm expectaris, perturbat & magnopere debilitat animos.

2 Corneam & eburneam, Hom. Odyſſ. 19. & Macro. li. 1. de ſomnio Scipionis. Nam cornu tenuatum viſui peruium eſt, ebur non item. Virg. 6. Aen.

dem proci, ego verò tibi aquila [1] auis sum Vlysses. Ille autem erat [2] contubernalis, & apud eum garriebat per visum. Mihi videor propter hæc Homerum audire dicentem, quemadmodum rationi minimè consentaneum sit somnia improbare, neque fragilitatem eorum qui his vtuntur, in naturam transferre visorũ. Quamobrem neque Agamemnon debet somniorum falsitatem improbare, vitiosè de victoria vaticinio significata coniectans: [3] Armare te Iupiter imperauit capillatos ac superbientes Achiuos cũ vniuerso exercitu. Nunc enim expugnare poteris vrbem latas vias aditúsque patentes habentem. Itaque procedit veluti prima vociferatione vrbem expugnaturus, quoniam (cum toto exercitu) perperam audiuerat.

Quæ quidem vox dicit si vsque ad vnum Græcam nationem armauerit. Ei autem [4] Achilles atque Myrmidonum phalanx à militia soluebatur, potissima alioqui totius exercitus generositas. Sat laudationum, & eas obii-

1 Aquila illa est quam inter somniandum viderat Penelope, qua significabatur, Vlyssem breui reuersurum, procósque occisurum, nec non tranquillo Penelopes coniugio fruiturum. Vide Hom. Odyss. 22.

2 Nam sub mendici habitu domi se continebat Vlysses, ita vt ne à suis quidem cognosceretur. Hom. Odyss. 17.

3 Fallax vult dicere somnium quod Iupiter immisit Agamemnoni. Homer. Iliad. 2.

4 Quia indignatus Achilles ob raptam ab Agamemnone Briseidem à pugna destitit. Hom. Iliad. 1.

ciamus. Sed nunquid propemodum inurbanitatis conuictus ſum, propterea quòd idonea quidem hæc diuinatio eſt ad ſimul nauigandum, & ad cohabitandum, & ad negotiandum, vnáque exercitum gubernandum, & ad omnia cum omnibus efficienda ea quæ paulò antè dixi. Quæ verò in me ipſum ab ea commoda tranſierunt, nondum manifeſtaui. Quanquam nihil ita vnà cum hominibus diſponit, ſicuti vnà philoſophatur, & permulta eorum quæ inter vigilandum dubia & anfractuoſa occurrunt, quando dormimus, hæc quidem tota indicauit, illa verò cognouit. fit autem neſcio quid tale, vt nunc quidem ſim ſciſcitabundus, nunc verò ipſe inueniam & excogitem. A me porrò plerunque etiam commentaria confecta ſunt.

1 *Somniorum interpretationem etiam ad eloquentiæ comparationem Stylíque exercitationem prodeſſe oſtendit.*

[1] Etenim ingenium inſtruxit ac ſermonem diſpoſuit. Et hoc quidem obliterauit, illud verò contrà induxit: iam verò integram linguæ ſupellectilem luxuriantem atque turgeſcentem verborum nouitate, affe-

ctatio

ctatione exoletæ veteris Atticæ linguæ. Diuinatio autem per Deum nos admonens, partim quidpiam dicentem, partim quid ſit enunciantem, partim verò demonſtrantem, ſalebroſas ac verucoſas quaſdam[1] voces declinare exortas è lingua, redegítque ad modeſtiam, ac tumorem temperauit. Ac tantiſper dum venationi vacarem, ſimul inſidias ſtruxit cum aſtutia contra beſtias currentes ac deliteſcentes. Et profectò mihi defatigato tandem & recedenti perſeuerãtiam imperauit, inopinatúmque euentum ad præfixum diem pollicita eſt, ita vt ſperando æquiore animo in ſtatione ſub dio manerem. Sed poſteaquam aderat dies præfinitus, & fortuna præſto erat, quæ quidem præmonſtrauit examina irretitarum captiuarúmque ferarum.

Mihi ſanè quidem pro libris & venatione vita eſt, niſi quando legationis munus obiui, vtinam non vidiſſem tres meæ vitæ atros & inauſpicatos annos: Et tamen tunc temporis pluribus certè ac maximis in re-

1 *Quia tanquam ſcopulum fugiendum eſt inauditum atque inſolens verbum. Gel.lib.1.& Macrob.1.Satur.cap.5.*

bus ex ipsa emolumentum percepi. [1] Insidias etenim cõtra me manes elicientium incantatorum irritas fecit, atque indicans, & ex omnibus liberans, etiam publica negotia vnà tractauit, ita vt cum ciuitatibus optimè ageretur, & ad Græcorum regis colloquium me aliquoties animosiorem sisteret. Aliis autem aliud curæ est. Hæc porrò omnibus præsto est, cum ipsa vnicuique sit bonus genius, & vigilantium solicitudinibus aliquid astruat & excogitet: vsqueadeo industria quædam res est animus sordidorũ sensuum inundatione vacuus, varias res alienas in eum introducentium. Quas enim obtinet species, & quascunque à mente accipit, simplex cùm sit, eas præbet vergentibus ad interiores sanctioresque mentis recessus, & à supremo Deo transuehit.

Cum eo enim etiam Deus rerum mundanarum caducarúmque curam gerens commercium habet [2] ita affecto, eò quòd ipsius natura ex propinquo sit. Hæc itaque insomniorum genera, magis admiranda sunt, vel penitus

1 *Multis enim Dæmonum fallacibus inuentis, & portentis vexabantur primitiuæ Ecclesiæ proceres, vt oraculis, necromantia & arte magica: quibus rebus cacodæmones mentita diuinitate hominum credulitatem deludebant. Lact.*

2 *Huius rei gratia Aristot. in lib. de Mundo, τὸ θεῖον καὶ δαιμόνιον. i. Deum supremum mentémque mundi moderatricem per vniuersas mundi partes omnémque naturam diffundi & commeare ait.*

nitus

nitus, vel propemodum omnino perſpicua manifeſtáque & nullatenus artem deſiderantia. Sed[1] ea ſolis adſunt ex virtute viuentibus, ſiue intelligentia parta ſit, ſiue moribus[2] ingenita: Quod ſi tandem cuipiam alteri, vix quidem ac fieri poteſt: prorſus autem non exigua profectò aliqua cauſa optimi generis inſomnium homini plebeio aderit. Reliquum verò, ac frequens, & communiſſimum genus, illud fuerit ænigmatis inuolucro tectũ, & cuius cauſa fas eſt artem exquirere. Nam originem habuit, vt ita loquar, abſurdam & inſolentem, & vt ex talibus rebus emergit obſcuriſſimũ procedit. Sic enim ſe res habet de eo.

1 Apertè docet ſomniale vaticinium viſionúmque perſpicuitatem ſæpenumero virtute politis mentibus offerri.

2 Hac de re conſule Ariſt. in lib. de moribus ad Nicom. vbi vult quaſdam virtutes à natura inchoatas vſu perfici, quaſdam verò eſſe rationis & intellectus, & doctrina abſolui.

Quaſcunque imagines ex omnibus quæ ſunt, quæ fuerunt, erúntque natura obtinet (quãdoquidem ea etiam ratio eſt ſubſiſtãtiæ) effluunt, & è ſua euibrantur hypoſtaſi. Nam quicquid ſentitur, forma eſt cum materia compoſita: obſeruamus autem in compoſito materiæ lapſum, ratio conuincit etiam imaginum naturam transferri, vt ex vtraque[3] parte eius quod eſt di-

3 Id eſt, materia & forma.

gnitatem reiiciant ea quæ eueniunt. Harum omnium effluentium imaginum fantasticus spiritus speculum est certissimum. Temerè quippe vagantes, & è suo statu effugientes incertitudine subsistentiæ, & eò quòd à nullo eorum quæ sunt agnoscantur, posteaquam inciderint in animales spiritus, spectra cùm sint, sedem autem habeant in natura, istis adhærescunt, & non secus atque in familia requiescũt. Atqui ab his quæ fuerũt, quum nimirum iam transierint ad naturæ efficaciam, perspicuæ remittuntur imagines, donec præ temporis diuturnitate debiles exiléſque euadant.

Ab his porrò quæ sunt, quæq; adhuc subsistũt, viuaciores illustrioréſq;: cæterum à rebus futuris incertiores magíſq; dubiæ. Prouolutiones enim sunt nondum præsentium rerum, naturæ imperfectæ pustulæ, veluti reluctantia & exilientia seminum reconditorũ ænigmata. Sic etiam arte opus est circa rerum euentum. Adumbrata enim inde proficiscuntur simulachra, & non perspicuæ imagines, sicuti ab

his quæ ſunt. Admiranda quidem ſecundum naturam ſunt. Sed iam aliquid de arte dicendum, quemadmodum adſit. Proinde commodiſſimum fuerit hunc in modum diſpoſuiſſe diuinum ſpiritum, vt mentis ac Dei inſpectione ac præſidio dignus cenſeatur, & minimè conceptaculum ſit inordinatorũ ſimulachrorum. Optimus verò paſtus eſt per philoſophiam affectuum tranquillitatem inducentem, à quibus incitatis ſpiritus fantaſticus tanquam locus occupatur.

Et [1] per moderatum victum ac temperatum, nullatenus quidem animal ſtimulat, miniméque illud inſerit cum corpore [2] extremo. Nam motus vſque ad [3] primum peruenire poteſt: Hoc autem intrepidum atque imperterritum eſſe oportet. Sed cùm eidem cuiuis vota facere in promptu ſit, cooperari verò perarduum: Et nos cupimus nemini ſomnia inutilia & infructuoſa eſſe. Age quendam ſaltem indefinitis limitem inquiramus, hoc eſt artem circa ſimulachra conſtituamus. Ad hæc ſic ſe res habet. Quemadmo-

1 *Quia ne mente quidem rectè poſſumus vti multo cibo & potione completi. Cic. 5. Tuſ.*

2 *Id eſt, terreno & caduco.*

3 *Per primum corpus ſpiritum fantaſticum intelligit, quem ſupra vocauit σῶμα πρῶτον ψυχῆς.*

dum apud eos qui mare peragrant, cùm tandem alicui obuij facti sunt scopulo, ac deinceps descendentes videant vrbem virorum, quoties eundem scopulo prospexerint, eam ipsam vrbem obsignant. Et[1] sicut in exercitus ductoribus, quos cùm non videamus à præcursoribus scimus eos adfuturos: nam ipsis visis, semper adueniunt: Sic etiam simulachris quotidie futurorum energiam cõiectamus. Ea enim præcurrunt ipsis, & sunt similia similibus.

1 *Elegantißimæ similitudines quibus insomniorum quorũdam veritatem elicei docet.*

Non secus atque igitur gubernatoris dedecus est eodem scopulo viso, non agnoscere, nec posse dicere iuxta quam terram scapha fluctuat, & talis improuidè nauigat. Ita qui eandem visionem multoties vidit, nisi adnotauerit cuiusnam sibi affectionis prophetissa fuerit, vel fortunæ, vel actionis, absurdè vtitur vita, quemadmodum rector ille naui. Ac repentinas præcipitésque pluuias prædicimus in serenitate profunda circunfusi aëris, circa Lunam sydereos circulos vndique illustratos cõspicientes, quoniam multoties

multoties ſic videntibus nobis, tempeſtas proxima fuit. Ex vno quidem euenit vt vẽtum ſerenitatémque obſerues, ſi erumpat, ventum, ſi verò flacceſcat & emarceſcat, ſerenitatem. Duo porrò circuli in tempeſtate lunam circundant. Sed maiorem tempeſtatem adfert ter ſe glomerans circulus, magis fuſcus, ac ſi erumpat magis.

Ita omnibus in rebus & [1] Ariſtoteles & ratio dicit, ſenſus memoriam, memoria experientiam, experientia verò artem conficit. Sic etiam pergimus ad ſomnia. Reconditi autem à nonnullis iam codicilli frequẽtes ſunt huiuſmodi obſeruationis. Sed equidem eos omnes ludibrio habeo, & infrequens emolumentum exiſtimo. Haud enim quemadmodum corpus infimum coaceruatorum elementorum congreſſio & ſocietas, ſummatim artem admittere valet & rationem, quæ ad eius naturam vnà adhibeatur: nam [2] plerunque illa à ſe ipſis mutuò afficiuntur, exiguo in [3] vniformibus inter ſe diſcrimine ſito: Et quod

1 *Ariſt. enim ab infimis & indiuiduis* πρὸς τὰ γενικώτατα, *ad generaliſſima progrediendum cenſet.*

2 *Elementa enim viciſſim transmutãtur, ea præſertim facillimè, quæ ſimilitudine aliqua copulantur, vt pote quæ contrarias minus habẽt poteſtates, vt ſi ignis ex aere fiat, Aer corrumperetur. Herm. Barb.*

3 *Vniformia dicuntur elementa, quæ mutuò conuertuntur, aut eaſdem habent qualitates, vt aer & ignis, terra & aqua.*

vltra [1] naturam affectum est in ipsis, non occulto corripitur morbo, nec tale veruculum in vsum cõuertimus: non ita se res habet in spiritu fantastico, verùm alius etiam ab alio discrepat quoad primam naturam. Alius siquidem alij sphæræ congruit maiori ex parte suæ coagmentatæ materiæ. Illi quidem profectò beatissimi egregiè omnium animorum in terras cælitus effunduntur.

[2] Illi verò felices atque ineffabilia fila habentes, quicunque à te lucido (ô
" Deus) & ex ipso Ioue enati sunt, pro-
" pter filum validi fati. Et istud erat vtique quod ænigmaticè innuit [3] Timæus, cuilibet animo concedens socium astrum. Qui autem etiam à natura sua digressi sunt ac degenerarunt, eò quòd libenter versentur circa materiam, hic quidem minus, ille verò magis, vt vnusquisque ab inclinatione sua infeliciter aberrauerit, fantasticum conspurcauit spiritum. Itaque in corpora introducuntur ita affecti, fitque tota vita in errore & angore spiritus, ei quidem vltra habitum na-

1 Nam elementa quoniam ex fluitante materia constant, séque mutuò sæpenumero inficiunt: nullúmque ex se ordinẽ obseruarent, nisi à lege cælestis motus ordinatissima regerentur. Vnde vitæ & mortis causas habere dicuntur ab Arist. li. 2. cap. 2. de part. animal. & earum causis.

2 Ista deprompta sunt ex oraculis Aegyptiorum.

3 Plato in Timæo tot animorum ordines disponit, quot in cælo sunt sydera.

turalem ob primariam nobilitatem: animali autem iuxta naturam. Nam ab eo qui hunc in modum afficitur, animatum est. Nisi etiam ipsi pro natura sit habitus, in quem à se ipso redigitur vitio & virtute vtens.

[1] Nihil enim ita versatile est, quemadmodum spiritus. Qua ratione igitur in dissimilibus, & natura, & lege, & affectione, eadem visa ab iisdem demonstrarētur? Istud non est neque fit. Sed quonam modo euenire potest, vt aqua turbida & liquida, & in statu permanens, & se ipsam mouens, ab eadem forma consimili ratione disponatur? Quod si etiam crassitudo alia est in alia aqua secundum colorum discrimina, & motus in plurimis figuris, ita vnum quidem fuerit, genere ab exacta imagine aberrare. Sin autem dissimilitudo est, siue[2] Phemonoë aliqua, siue[3] Melampus, seu quispiam alius censebit summatim aliquid talibus de rebus definire ac edicere, sciscitemur ab ipsis, vtrum naturæ seruet tenorem & id quod incolume, & quod præposterum est

1 *Spiritus enim prōptus est, caro autem infirma, ait mundi seruator.*

2 *Apollinis Delphici sacerdos diuinationis gnara.*

3 *Hic augurio claruit.*

ſpectrum, quódque ex diſpari materia: vt ſimile exprimant eius quod indicatur ſimulachrum.

At illi quidem primùm opinor necquicquam philoſophati ſunt circa ſpiritum fantaſticum. Quod autem ipſi proprium eſt quomodocunque affecto, omnium rerum voluerunt eſſe regulam atque indicem. Atque equidem haud deſtruo eſſe per omnia diſcrepantia ſimilitudinem, verùm id quod dubium & obſcurum eſt ſi diſſipetur, incertius efficitur. Erat autem vtique ab initio cognitu difficile prius exilientis rei ſimulachrum. Præterea verò difficilius eſt aſſequi in quolibet modo communi phantaſmati ſimile viſum. Ea quidem de cauſa improbandum eſt communes omnibus leges eſſe: ſed ſeipſum vnuſquiſque artis materiam habeat. Memoriæ inſcribat quibuſcum rebus congreſſus ſit, & quando, propter quales tandem imagines haud moleſtè ars diuinandi cõtrahitur, eo quod cum quadam vtilitate excogitatur. Commoditas ſiquidem meditationis commonefacit

i *Id eſt, longa obſeruatione animaduertat quid ex quoque viſo ac ſpectro ſibi contigerit quod eſt prudentiæ: quam Ariſt. definit, habitũ verum cum ratione, qui in his agendis verſatur, quæ ſunt homini bona, & his declinandis, quæ ſunt eidem mala.*

cit, & potiſſimum quando materia paſſim abundat.

Sed quid inſomniis fuerit vberius, quid porrò appoſitius? Quæ etiam ſtolidos ac dementes attrahunt, vt quidpiam de illis cogitatione conſequantur. Itaque turpe fuerit eos qui ex pubertate decem annos nati ſunt, alio vate adhuc indigere, ac minimè apud ſe ipſos artis ipſius permultas obſeruationes coarctaſſe. Scitum porrò fuerit ſpectra & euenta ſcribere inter vigilandum ſomniandúmque occurrentia: niſi aduerſus nouitatem huius artificij ciuitatis mos difficilis ac moroſus ſit. Quandoquidem nos æquum cenſebimus his quæ vocantur acta diurna, à nobis nominata nocturna copulantes habere in vtraque vita traductionis commẽtaria. Vitam enim quandam fantaſticam oratio ponebat, nunc quidem meliorem, nunc verò [1] media deteriorem, quandiu ſanus eſt ſpiritus & æger.

Ad hunc itaque modum ſi & obſeruationem conducibilem exiſtimamus, ex qua ars amplificetur, nullo

1 Iuxta illud Pſalmiſtæ, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine: Ad de quod, nullus tam agreſtis, tam barbarus, & à Muſarum contubernio alienus, qui ſi naturam rectè viuẽdi ducem ſequatur, poſſit aberrare. Ideóque Pindarus Od. 9. Oly. naturram, & id quod natura valet, arti atque doctrinæ, virtutibúſque doctrina partis ſemper anteponit: τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν. πολλοὶ δὲ διδακταῖς ἀνθρώπων ἀρεταῖς κλέος ὤρουσαν ἑλέσθαι.

1 Philoſophi triplicem vitam poſuerunt, vnam in cõtemplatione, alteram in actione & moribus, poſtremam in diſſerendi ſubtilitate. Sed hîc mediam vitam accipe, quæ vitij ac virtutis expers ſit.

nobis inſomnio & memoria fluente, feſtiua alioqui etiam fuerit conſolatio quædam, ſeipſum hiſtoria cohoneſtare inter vigilãdum atque dormiendum. Quinetiam quibus lingua curæ eſt, haud noui ſi aliud quoddam argumentum fuerit huius loco, pro omnis generis exercitatione, eius quæ in dicendo eſt facultatis. Nã ſi ephemeridas Lemnius Sophiſta pro bonis eſſe magiſtris ait, benè quauis de re dicendi, eò quòd ne minora quidem deſpiciant, ſed quia iiſdem neceſſariũ eſt per omnia ire vilia ſeriá ꝗ;, quo pacto indignum fuerit nocturna commentaria admiratione commendare & amplecti ad elocutionis argumentum? Videat autem quiſpiam quantum opus ſit, ſi aggrediatur orationem cum viſis producere, à quibus ſeiunguntur quidem ea quæ cum natura conſuetudinem habent: colliguntur verò quæ ab eadem diſtincta ſunt. Atque operæprecium eſt vt is qui minimè per imaginationem comprehenderit, oratione fingat. Sed nequaquam certè negotium fuerit de-

ſpiciendum, natam in animo prodigioſam & inſolentem incitationem trãſmittere ad aliud. Quando autem per imaginationem ea quæ ſunt ex natura rerum excutiuntur, at contrà admittũtur in naturam ea quæ nullatenus ſint, [1] neque naturã habent vt ſint, quid cauſæ eſt, vt hi qui rerum domeſticarum ac propriarum ſunt rudes & imperiti, ob oculos exhibeant naturam innominatam? Ad hæc ipſa fantaſia eaſdem neque formas plures, nec ſimul omnes, neque cum tempore adducens repræſentat: Et tamen eas oſtendit, vt ſe habet atque porrigit inſomnium. Nam ſuſpicione ducimur de quacunque re voluerit.

In quibus omnibus etiam non admodum vltra decorum agendo perſeuerare abſolutiſſimæ fuerit rhetorices. Sed iam confidenter ac iuueniliter audet phantaſia etiam aduerſus voluntatem noſtram, quidpiam vltra opinionem concedens. Neque enim affectuum expertem animum gerimus circa ſpectra, inſuper validę quidem ſunt cõſenſiones atque affectio-

1 Vt ſi quis fingeret album coruum, & olorem nigrum. Cogitatione ſi quidem vt nihil celerius, ita ſecundum Deum nihil potentius, vt quæ impoßibilia poteſt. Itaque plurima ſpectra & viſa in rerũ natura conſiſtere nequeunt, quum vt ait Plutarch. in Placit. Phil. principium ſit motus & quietis, dũtaxat in quo primigeniè ineſt, non etiã per accidens.

nes, eas autem potissimùm abhorremus. Ac frequentes circa easdem imposturæ dormiētibus insidiantur. Eáque voluptas tum sanè vel maximè suauis est, vt imprimat animis odia & amores in vigilante vita. Si certè quispiam[1] haud inanima ignauáque pronunciaturus est, sed id cuius gratia hæc oratio instituta est præstiturus, in eadem animi commotione, & iisdem coniecturis auditorem vt sistat, mouentibus ei opus erit verbis.

Iam verò fantasia quædam simul & vincit, & ingreditur, & volat, & omnium capax est: Quo autem pacto oratio ea complecti posset? Et aliquis dormit inter somniandum, & per quietem videt, & dormiens excitatur, vt opinatur, & somnum excutit iacens, &[2] aliquid cōmentatur de viso somno prout animaduertit, & illud somnium est, hoc verò geminum. Mox non credit, putátque id quod instat visionem esse veram, & quæ in conspectum veniunt viuere. Dehinc cum imperio certamen est, ac somniat quis dimicationem contra se, eam

1 *Eò tendunt hæc omnia, vt doceat ad stylum exercendum multùm prodesse insomniorum interpretationem.*

2 *Quia tunc non modò per quietem videmus, sed etiam quibus verbis visa efferri poßint excogitamus.*

eam relinquere atque excitari, & periculũ sui facere, & hallucinationem imposturámque deprehendere. Ideóque [1] Aloïdæ mulctãtur Thessalorum montes aduersus deos extruentes. At dormiẽti nullum Adrastiæ ius impedimento est, quin fortunatior Icaro ex terra discedat, & aquilas quidem volatu superet, altior verò sit ipsis etiam globis cælestibus.

[2] Ac terram aliquis eminus prospicit, nec propter Lunam oculis patere eam adnotat. Sed facultas est cum astris differendi, & cum obscuris in hoc mundo diis consuetudinem habendi. Quod verò arduum ac molestum dicitur, tum facilè euadit. Dij inter somniãdum in conspectum veniunt dilucidi, nec eorum tamen inuidia vlla est. Nam paulò pòst dormiens in terram non venit, sed in ea est. Nihil enim tale est vt furetur ac tegat id quod in insomniorum medio est, ac minimè cum tempore præstet. Deinceps & oues alloquitur, ac vocem existimat balantem, & oues loquentes audit: Vsqueadeo noua qui-

1 Otum & Ephialtem gigantas intelligi, qui aduersus superos bellum in Thessalia pararunt. Qui temeritatis suæ penas dedere, quia superbiæ malum maximè omnium, bonitati diuinæ dissentaneum est, quæ vtique superbis obsistit, humilibus verò dat gratiam.

2 Vt Scipio minor, qui Carthaginem de excelso, & pleno stellarum & illustri loco videbat.

dem, ita porrò frequens argumentorum latitudo est, si quispiam in eam immittere sermones ausit. Ego enim opinor etiam 'fabulas licentiam ab insomniis sumpsisse, quibus & pauo & vulpes & mare loquuntur. Cùm hæc exigua sint ad erroris libidinem quæ est in somniis.

Poetæ si quidem res profundas conuelarunt, obtexerúntque, & sanctuarijs secretioribus reposuerunt: quem confingendi morem obseruauit Plato, cuius oratio allegoricè ferè semper interpretãda est.

Sed quanuis minima pars somniorum fabulæ sint, tamen à Sophistis diliguntur ad comparationem elocutionis. Itaque quibus artis principium est fabula, conueniens fuerit insomnium. Et insuper accidit minimè incassum linguam exercuisse, quemadmodum in fabulis: sed etiam animo sapientiorem esse. Eat igitur omnis cui otium est, & viuendi facilitas, ad descriptionem eorum quæ & inter vigilandum, & inter somniandum sibi eueniunt. Quidpiam temporis absumat, vnde præstantissimum quidem fuerit id quod proueniet ex cognitione scripturæ, ad colligendam eam diuinandi facultatem quam decantauimus, qua nulla res fuerit commodior. Neque verò dictio aspernan-

da eſt, rerum videlicet[1] appendix. Philoſopho quidē luſus fuerit, philoſophiæ contentionē relaxanti, quemadmodum & Scythæ ſuos arcus relaxant. Rhetori autem ipſum imperabimus pro colophone & apice oſtentationum.

Ita vt intempeſtiuè mihi videantur exercere dicendi facultatem in Miltiade & Cimone, & in[2] quibuſdam aliis obſcuris hominibus, & in locuplete ac egeno, in inimicis, etiam his in rebus quæ ad Reipub. ſtatum pertinent: de quibus omnibus ego grandæuos homines in theatro vidi inter ſe diſſentientes. Quanquam erant titulo philoſophiæ multùm graues, & eorum vterque geſtabat, vt coniectare licet, barbæ talentum. At nullatenus eos cohibuit grauitas, quin ſe mutuis dilacerarent conuitiis & expoſtulationibus, inornatéque manus circumagerēt in prolixarum orationum verboſa diſpoſitione, virorum gratia, vt tum equidem opinabar, neceſſariorum. At[3] ſicuti dicebant ij qui me ſecus docuerant, neque erant,

1 *Græcum verbū ἐφόλκιον, tractum eſt ab ijs quæ languida & ægrè affecta ſunt, quæque non ſuo, ſed alieno impetu mouentur, vt ſcapha ſequitur maiorem nauim.*

2 *Sunt enim iſti omnes loci communes, ex quibus in hāc & in illam partem argumenta expromere præſentis ſit conſilij.*

3 *Nam conijcere licet illos de quibuſdā phantaſmatibus inter ſe diſceptaſſe: quo fit vt inepta eſſet vtrinſque diſceptatio, quia ſurdaſter cum ſurdaſtro litigabat.*

neque vnquam fuerant, non solùm amici, sed nec à principio quidem in natura.

Quibúsnam enim in locis esse possit huiusmodi Reipub. status, qui præmium viro forti non concedat, intermendo ciuem in Reipub. gubernaculo refragantem? Proinde quicunque nonagenarius cùm sit, de re simulata adumbratáque in controuersiam venit, in quodnam tempus opportunum reiicit orationum veritatem? Prorsus autem nec intelligere mihi videntur commentationis nomen, quoniam ex his vnus dicebat propter aliud institui: Alij verò præparationem [1] finem existimauerunt, & viam tanquam id ad quod tendere fas est, dilexerunt. Meditationē enim concertationem fecerunt, haud secus atque si quis in palæstra manuum artificiosa gesticulatione vsus, pancratium in ludis Olympicis præconis voce pronunciari exigat. [2] Tanta vtique ingenij ariditas, vocum autem vbertas homines occupauit, vt nonnulli sint, qui dicere valeant se non

1 *Est enim finis agendo postremus, at cogitando primus.*

2. *Vt Plato qui cōtemplationem dicit esse principium ac finem beatitudinis. Ad hæc non verborum, sed ingenij inopiam arguit in exercendo stylo, quoad somniorum interpretationem.*

non habere de quo verba [1] faciant, melius cùm esset ex se ipsis commodum precipere: quemadmodum Alcæus & [2] Archilochus, quorũ vterque in propriam vitam eloquentiam consumpsit. Atqui temporis vicissitudo conseruat memoriam eorum quibus & molestia & oblectatione affecti sunt. Neque enim vana & futilia verba in vulgus sparserunt, veluti recens istud & scitum Sophistarum genus in commentitiis argumentis, neque aliis suæ facundiæ dotes elargiti sunt, sicuti Homerus & Stesichorus heroïcum genus suis quidem poëticis descriptionibus illustrius reddiderunt. Nos etiam emolumentum percipimus ex immodico virtutis amore. Illi autem quantùm ad se attinet, neglecti sunt. De quibus nihil dicere possumus, nisi quòd solertes poëtæ fuerunt. Ergo quicunque apud homines subsequentis orationis desiderio tenetur, ac sibi conscius est posse producere in tabulis suis ea quæ æterna sunt: Audacter inquirat librum [3] insolenter à nobis conscriptum. Se-

1 Sed horum si alterum sit optandum, cum Cicerone malim indisertam prudentiam, quàm stultam loquacitatem.

2 Tamen hic Archilochus à Spartanis in exilium pulsus est, & eiusdem fœda obscœnáque scripta ex vrbe sublata sunt. Alcæi verò poesis amaritudine scatens, ita exclusa est.

3 Quasi legem legibus contrariam promulgando, scriptũ est enim, Somnia ne cures &c.

ipſum * tempori committat, quia integer excubitor, quum è voluntate Dei quidpiam ei creditur. Sit omnipotenti Deo gloria & gratiarum actio.

* *Vnde prouerbio fertur, Veritatem eſſe temporis filiam. Hinc Pind. in Olymp.* ἁμέραι δ᾽ ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι. *poſteri dies ſapientiſſimi teſtes.*

FINIS.



ERRATA SIC CORRIGITO.

In Epiſtola.

Pagina. 1. verſu 18. latis pro lautis.
P. 7. v. 24. lege Macrobium, non Macrobius.
P. ead. v. 9. tolle ſiue, repone, nec non.

In Syneſio Latino.

Pagina 1. v. 10. redolens, pro redolet.
P. 3. b. v. 27. ad quempiam, non, quem am.
P. 5. a. v. 21. nec reſpuenda, pro ne.
P. 6. a. v. 11. num igitur auguſtius, nõ anguſtius.
P. 8. b. v. 15. diuinus, non, diuinius.
P. 2. v. 15. cauſa ex.
P. 2. b. v. 26. Quod ſi omnia, initium capituli.

NICEPHORI GREGORAE PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI explicatio in Librum Synesij de Insomniis, interprete Anthonio Pichonio, apud Turones Græcarum literarum Regio professore:

AD ILLVSTRISSIMVM AC REVERENDISSIMVM Cardinalem DE IOYEVSE:



NIHIL nouum neque absurdum est, si permulta quæ quondam summa cum difficultate adinuenta fuerunt, in melius immutētur: quēadmodum è conuersione & circuitu temporum propter alias aliæ magnæ vehementésque naturæ germinant & oriuntur, seu ipso tempore ita comparato, vt semper alia de aliis recentiora adferat, seu ipsa humana natura statim à principio ad id quod in suo munere absolutū est, consilio destituta sit. Isocrates siquidem dicit, si sis discendi cupidus, eris multiiuga doctrina præditus: Tu contrarium, & rem pari affinitate coniunctam facis. Illud quidem fuisti, hoc verò semper fueris. Perpetuo enim discendi desiderio teneris, quasi verò tua indoles nullam tibi opem ferat ad ea quæ illam præoccuparunt, nisi etiam magis ob argumētum quædam sitis intumescat,

Pagina 91. Secundum Turnebinam impreßionē.

& inflammetur quæ iſta proponit: perinde ac ſi flamma calamos apprehenderit, quantò procedit deuorans materiam, tantò multiplicat ſaltum, ac vehementiùs in ſubiectam menſam ſurgit & excitatur. Quòd ſi etiam magnus ille Plato in medium prodiens demonſtrat, diſcendi auidum quodammodo Philoſophum eſſe, nimirum quòd cogitatione ſublimia complectatur, & quæcumque è terra eriguntur myſteria, quod validius præſtantiúſque tibi vtique reliquum eſt, id natura conſectatur. Tales enim philoſophiæ ardores & amores, quantò interius ad rationes eorum quæ ſunt ingrediuntur & ſe inſinuant, atque in ipſorum ſepta iam prodeũt, tantò turgidum etiam ad ſuperiora enutriunt & augent appetitum. illud ſiquidem interdum me non in minimam erexit admirationem, quo pacto neſcio quot modò apud nos Grçci ætate ac viribus florent, vides quidem omnes, cæterum aſpernaris: Deinceps tu quidem mihi ſoli tuarum ad rationis calculum reductarum ac ſapientia refertarum quçſtionum onera exponere haud valdè vereris, neq; hac de re tibi religio eſt propterea quòd nullã in ipſis deſeris cõtentioſæ meditationis excuſationem: Metuis quantùm ad iracundiam temerè accedunt queruloſæ opiniones, quãdo quis radices præcidẽs ac ſtirpes eas abrũpit & mœrore afficit quæ hymnorũ virgulta erigunt. Haud quippe Alexãdro Philippi filio citra inuidiã & æmulationem manſit, cernenti Philippum crebris victoriis ſe ipſum iactantem: verùm animùm deſpondendo bac-

chicum

chicum quẽdam ſermonem fertur apud coætaneos edidiſſe, & vt ita dicam furore numinis plenum: ne cum omnia præoccupaſſet pater, nullam ſibi triumphorum anſam & occaſionem reliquiſſet: plurima ſilentio prætermitto. Sed propter occaſionem quam nunc rurſus exprõpſiſti, volebam ipſe, hac ambitioſa contentione prætermiſſa, ex animi mei arbitrio temporis opportuni necnon fortunæ meæ proditor eſſe. Graue enim eſt & moleſtũ, eſſe quidem certaminum non ignobilium opus, quemadmodum tu noſti, & quibuſdam elegantibus viris tale in medium propoſuiſti. Poſtea apud quos faſtus & cogitationum petulantia intempeſtiuè in intelligentiam tyrannidem obtinet: ij totam vtique ſapientiam in ſupercilio collocatam habẽt, & omnia facilia atque expedita linguæ volubilitate & pollicitationib⁹ faciunt, quidpiam maximè ignobile diuulgãdo. Nihilominus quãdoquidẽ magnifica tua lingua & omni ex parte id quod in cõfeſſo eſt decerpens vincendi gratia, & è mente ſapientiæ ſtudioſa, & ex artificioſæ eloquentiæ lepore impetum ſumens, alia nobis adducit ad faciendam fidem: Et quia non operæprecium eſt, vt ſapientiæ cupidus auditus oris impij rationem habeat, eia tuam veluti comprehenſu facilem concludamus poſtulationem, & aliorum te interueniente, quibus te ampliſſima condonaturum hoc vnico modo polliceris. Omnibus quidem certè ſine dubio conceſſum eſt, quibus etiam quocunque modo adeſt communicatio mentis & ſcientiæ iudicio pollentis,

Linguaces & garrulos carpit, qui nullo pondere rerum innixi verbis humidis & lapſantibus defluũt.

non vnicam quandam ſapientiæ ſpeciem magnum Syneſium exercuiſſe, at nullam eſſe, quam non aſſecutus ſit, huícque rei mortalium neminem contradicturum opinor. Neque enim ſolum quanta eſt eius in Græco ſermone coloris varietas, ad cuiuſuis excellentiſſimum fautorem conſtituendum & exhibendum, verumetiam omnium Chaldaicorum myſteriorum ſodalem: Et quæcunque rurſus à ſacris ſcriptoribus priſcis apud Ægyptios de rebus admirabilibus libri ac myſticæ ceremoniæ ſubſequentibus temporibus tradiderũt, & quæcunque dogmata Delphorum theologi præſcripſerunt, neque remanſit vir quin his initiatus eſſet. Verùm & hæc ipſa, & cum ipſis quæcunque Plato ab vrbe Athenienſi, & è Samo Pythagoras ad Ægyptios diſcẽdi gratia vẽtitantes aſſecuti ſunt, etiã ille vir fortiter circa talẽ debacchatus mẽſam. Ipſi porrò curæ fuit noſſe omnia quæ præſtigiatorũ & magorum voces inſtituerunt, nunquam quidem iſta exercuiſſe: ſed earum rerum in arcanis deliteſcentes rationes extremis auribus percurriſſe, iſtud maximè curauit. Haud quippe fas eſt viro ſapienti ac diſcendi cupido in hoc omni ex parte ornatum mundi Theatrum oculos flectenti, quin omnium rerum ſermonem, & inſtitutorum rationes, quantum datur aſſequi, exploret & inueſtiget, vt his inſiſtat, ab aliis verò ſe abſtineat. Et quoad Græcus erat animo fermè omnia complectebatur. Sed ſimul atque amarum illum auditum, vtcunque abluit, tum demum ſanè etiam à pluribus ſe abſtinuit: quæcunque inſtar

Patet ex hoc loco Syneſium inſtante populo Chri-

instar loliorum molestiam exhibebant synceris atque firmis segetibus. Cæterum nouerit quispiam & ex aliis quos ipse scripsit libris & orationibus: nouerit autem commodius ex hac oratione & alia, præterea multiplicem eruditionem ac solertiam viri, & vt intentio quidem philosophica in ipso vbique, & indoles veneranda ac splendida in eius labiis efflorescit. Sed hîc in primis, vtpote etiam in secretioribus rerum ornatissimarum & supra naturam positarum explorationibus, ceremonias cum peragat, atque diuino furore afflatus, ac veluti numinis concitatus sit, quemadmodum vates diuini & Phœbi vaticinio correpti. Et enim ipsius interim professione contractáque societate, vt in ea se habet mens, etiam ego in præsentia vtar: indicat ad sapientiæ studiosum & magistrum consulatum, tanquam Deo eius animum incitante atque cogente, præsentem sermonem ediderit, & ipse quidem stylum accommodarit, quasi extra se ipsum exortus. *Deus porrò hanc rerum vniuersitatem quàm ocyssimè construxit ac molitus est, verborum efficacium & in promptu positorum ex temporaneorúmque fontes affluentes & vberrimos suggerens, & ore promens: & parum abfuit quin ipse Synesius hoc vniuersum contemplaretur, quatenus etiam postea consequens & futurum tempus, vt ipse ait, se nonnullis vt plurimum occultissimis ac inuentu difficillimis partibus vsum esse, discrepando séque abstinendo ab iis quæ absurda, & ab instituto aliena sunt, nihil in suum librum retulisse.* * Hinc etiam istud manifestum est. Etenim cùm præsentis tractatus sen-

stiano, ac proceribus Ecclesiasticis adhortantibus, prauas opiniones, quibus prius imbutus erat, veritati posthabuisse.

tentia ſublimi ac æthereo diuini afflatus præſidio ſepta munitáq; ſit, & vſqueadeò theologica ſpeculatione ediſſerat, opportunum ſubinde fuerit à dictione tranquillitatem elicere, ac minimè eiuſdem inſolentiæ nouitatíque inhæreſcentem ſenſum confundere, atque mulctare eloquentiæ & ſermocinationis ſtudioſarum aurium auiditatem. Huic porrò neque dictio à vaticinandi artificio & oraculo aliena remanſit, neque ita intumeſcente ſententia propter faſtum: otium admonendi ſubridente lingua accepit, ſed familiaritate hîc quoque vſus eſt, natura videlicet eius linguæ tanquam ſua ſponte fluētis fontis facilitatem & vrbanitatem ſuppeditante. Ille autem peregrinis vtcunque & externis moribus ac vocibus vtens percellit auditum, ac veluti pũgit, & pruritu afficit, vt vindemiantium palmam qui circa roſam eſt aculeus aut ſpina. Solet enim homines qui diſtinctos locos incolunt peculiaris mutatio cuiuſdam conſuetudinis ſimul & linguæ, haud ſecus atque quidam inſitus animi affectus comitari, & illinc oriri: Ac ſi quædã iſtinc ad auditum Attico ſermone delinitum peruenit commẽtatio, cuiuſdam talis generis dicendi mare ſibi attrahit & aſciſcit. Nam Ptolemaidi & Alexandriæ & in ſuperiori parte Libyæ verſans, è longinqua regione conſuetudinem habuit cum illis, quicunque Stoicæ familiæ & Academicæ ſectatores ac diſcipuli fuerunt. haud tamen ſuis legibus viuens horum contubernalis fuit: & ob id illinc nonnullas quaſi opiniones admiſit, alias autem repudiauit. Hunc in modum has quidem

loquendi

loquendi rationes inde profectas æmulatus est, alias verò minimè. Ideóque augusta & imperatoria quadam naturæ licentia vtens, à patriis laribus emigrauit, exiguam rationem habens de his, quorum communi colloquio fruebatur. Ergo si quispiam hanc vtique causam esse constituerit, atque eius præsentem orationem coniectu difficilem esse maiori ex parte, & velut ænigmaticam & obscuram, non procul ab eo quod decens & consentaneum est currit & aberrat. Mens enim tam onusta, & cuiusuis disciplinæ ac sapientię coaceruatio, tam vberanti facundiæ contexta multam intulit noctem & tristitiã, si quis curiosè expendere internum & contubernalem sensum velit. Quasi necessarium esse liceat cuicunque hunc ad voluntatis & sui consilij rationem explicare: nõ eum solum qui prius particeps fuerit compotem eorum omnium fieri quæ edisserit, ac si ille emendicauerit, verumetiam transformare posse ad varias opiniones, & sæpenumerò iudicio nostræ gentis priuatas, ac veluti transfigurare in degenerantes variósque colores, haud secus atque Pharius ille Proteus. Non enim iuxta eandem sententiam omnes eis vtuntur, sed vt singuli opinionem sortiti sunt aut perspicientiam: hi quidem accedunt integrum ac syncerum adferentes iudicium, alij verò admodum flagitiosum, quippe quod circa consentanea & opportuna insano studio errat, nonnulli porrò semiuitiosum & in vtramque partem vergens. Nec quis eorum qui hoc vel illo modo affecti sunt timorem perperã & incõcinnè respon-

Innuit Niceph. haud fas esse Synesianam sententiam, quanuis obscuram, ad normam Lesbiam reuocare.

deat, & nos aſpergat crimine atrocíque iniuria improbæ opinionis. Et poſtea linguæ ſibi multa arrogãtes, ignobiles, petulcæ, & ad maleficiũ propẽſæ nos rumore ſiniſtro apud vulgus onerẽt: & nos nullo ſcelere polluti præmiũ infauſtũ & hoſtile reportemus huius honeſti & egregij ſtudij. Nihilominus cũ illis qui Indorum & Perſarum in hunc noſtrũ auditum & ſermonem transferũt ſententiam, hi inculpati manent, hunc in modum & nos propter alienigenam gloriam candeſcentes, & ad dilucidiorem auditum traiicientes, latebimus omnino inculpati manentes, apud eos qui ſunt è numero cordatorum elegantiumque hominum, & quorum nullatenus inuidia præſidens concutit & agitat mentem. Poſtea etiam plures vt opinor ſemper æmulatores erunt, quibus perutilis hæc res videbitur: Quibus certe optima prompto alacríque animo nobis optantibus, nobis quidem Deus huius operis quandam dederit mercedem: Sed obtrectatoribus, vt cum ipſis malis obtrectationibus malè pereant. Erit autem à nobis hæc explanatio non tantùm in perfectiorum gratiam facta, ſed iam propter intelligentiam eorum qui ſunt minus idonei. Hi quidem hac in parte verſabuntur, alij in alia, nonnulli autem in vtraque, prout facultas & voluntas vnicuique fuerit. Quæcumque porrò de animo commemorat, cum quibuſdam priſcis ſapientibus conſentanea enumerat, cum quibuſdã diſſona diſcrepantiáq;. Et quidpiam eximium fantaſiam eſſe ille dicit, aliud verò eorum vnuſquiſque: & in qua corporis

poris parte, eius quæ in ſomno eſt vaticinationis, ſtatuit tripodem ſeu cortinã edendis oraculis idoneam: Demonſtrat quidem & ipſe ad ſapientiæ ſtudioſum & magiſtrum conſulatum, permulta eorum quæ inter philoſophandum excogitata ſunt, nondum Græcorum manibus expoſita traditáque fuiſſe. Conſpicuam igitur & nos per ſe faciemus explanationem. Ad hæc efficiemus vt ſingula innoteſcant, & illuſtrentur in ſingulorum ſtatione degentes. Tu autem pro his quæ appoſitè & ex tui animi ſententia conſtituta ſunt, gratias animo & lingua reddens ne coram Deo torpeſcas: Sed pro his quæ aliter ſe habent, luculentam nobis expoſtulationem facito: Illorũ enim ipſe dux princeps & choragus eſt: in his autem nos culpandi ſumus.

EIVSDEM NICEPHORI IN SYNESIVM DE INSOMNIIS, *explanatio*, *interpr.* ANTHONIO PICHONIO, R. P.

QVOD *ſi ſomni ſunt faticidi.* Quemadmodum Regum precioſa munera, quæ propter valorem, maioreſue delicias reponuntur & aſſeruantur, & quæcumque apud homines ſacra, auguſta & magnifacienda ſunt ſub tapetis & aulæis alia aliis teguntur, ne profanæ ignaræque multitudini propoſita corrumpantur & adulterentur, neque floccifiant. Nam propter ſumptus, id facile & in promptu poſitum eſt. Ita quæcunque ab hominibus ſomno ſepultis *Pag. 1. b. Εἰ δέ εἰσιν ὕπνοι. p. 4.*

cernuntur, quandoquidem diuinior, ac præſciens quidam aſpectus denuntiat, tunc fantaſtico animæ ſpiritu puriore pacato, propterea quòd ſolutus eſt quodammodo corporeis atque materialibus craſſiſque tumultibus, ænigmaticè & obſcurè quadam ratione etiam iſta tãquam ſub velis hominibus conceduntur. Eam ob rem id quod ſapiens & induſtrium eſt in ipſis (vt aiunt) minimè apertum eſt. Iſtud porrò verſibus Heſiodi confirmatur. Occultarunt ſi quidem (ait
» ipſe) Dij hominibus lenem & facilem vitam,
» & in conſpectu omnium rerum ſudorem Dij
» collocarunt. Illud autem, nempe citra laborem bonorum compotem eſſe, munus diuinum aſſerit, eſſe, verùm id non admodum multis cõcedi, quia valdè paucis: Veluti ſapientia ſine labore Solomoni pro præmio diſtribúta eſt: Sampſoni verò corporis inſuperabilis fortitudo robúrque: Ac rurſum vt liberales Græcorum diſciplinę tradunt & ſuadent, ſapientia quædam non admodum ignobilis acceſſit à ſuprema cęleſtíque prouidentia Æſopo Phrygio, & ante hunc Heſiodo necnon Homero. At ſomnos prophetas eſſe, & ſpectra per quietem viſa futurorum vmbratiles quaſdam ſimilitudines, vſque adeò firmum & ſancitum, atque ex aduerſo controuerſum arbitratur ſapiens & induſtrius ille Syneſius, vt ſtatim à primordio demonſtratiuis quibuſdam vti ſyllogiſmis velit: Sed quia aduerſus iſtud non multos habet hæreticos, coniunctiuo ac veluti ſeparatiuo vinculo ſubigit ac temperat moroſitatem & cõtumaciã temeritatis, prope-

propemodum dicens: Quòd si mihi ista dogmata præscribas quisquis commercium habes cũ huius commentarij musis, etiam admittis somnos prophetas & vaticiniorum interpretes esse, & quæ inter dormiendum cernuntur futurorum præscientiam exhibere: Te quoque nosse operæprecium est ex necessitate id quod consequens est, nimirum sapiẽtes & industrios esse somnos, non vtique dilucidos & apertos: Et hinc concludit, id quod minimè conspicuum & obuium est, ingeniosum ac sapiens esse: Euripidi contradicẽs. Ille si quidem in Orestis fabula introducit Menelaum dicentem, Id quod solers & argutum est "
planum ac perspicuum esse, nõ autem quod ob- "
scurum. Ergo formauit ac texuit prooemiũ iux- "
ta id quod diximus argumentum in formulam syllogismi hypothetici.

[*Vitam.* hîc laboris expertem dicit. *maxima.* bo- Pag. 1. b.
na. *cognoscendi virtute.* hoc est rationali potẽtia a- & 2.b.
nimæ. *ad cognoscendum.* nõ enim extrinsecus hanc Βίον. p. 4.
desiderat, sed ipsamet cognitio est. [*homini*] adiumentũ ad perspiciẽdũ. *homo quippè vulgaris.* sordida turba [*quod adest*] instãs, & quod ante pedes est videt. *nondũ euenit,* futurũ. *cõiectura.* cũ ambiguitate. *Græcorũ omniũ.* vniuersorũ, quicũque in expe-
ditionem Troianam exiuerunt. *quæ fuerant.* quæ Πεῖτ' ἐόν-
transierunt & elapsa sunt. *& apud Homerum.* in- τα. p. 5.
quit enim ille Iouẽ quoad generationẽ priorem & antiquiorem fuisse. *pertinere.* conuenire. *quandoquidem.* In hoc enim prius dixit Deum ab homine distingui, & hominẽ à bellua. *versibus.* ipsis
Homericis. *insolenter.* hoc est, priuato iudicio, Pag. 2. b.

Pag. 2 b. crassè & imperitè[*in ea*]poësi[*philosophiæ*] Apposítè istud dixit. Siquidem poëtæ philosophi cum essent, ignorati latuerunt, poetæ ab omnibus appellati. Ipsi namque consimilia medicis facientes eorum philosophiam in fabulas, versus & modulationem ad animorum solatium literis prodentes, eámque philosophandi rationem memoriæ mandantes, illius quæ inde procedit vtilitatis ita amarulentam difficultatem obtexerũt, quemadmodum medicorum filij fructuosorum pharmacorum acerbitatem & molestiam melle temperantes crebrò abscundunt: vt sapientibus reliquum sit solertes quidem & industrios esse, profanis verò ea supersint quæ plebi hilaritatem & oblectationem adferunt, cæterum intelligentiæ & reconditæ perspicacitatis expertia sunt. Nam in nullum alium sensum interpretantur Iouem, quàm ad mentem natu maximam & antiquissimam, & inde sapientissimam: vluti Mineruam ad prudentiam, quam etiam è Iouis cerebro natam perhibent. Consentanea igitur ratione sapiens ille Synesius hîc ad mentem & intelligentiam Iouem refert: Et ad fortitudinem ipsius sapientiam. Quod autem ætate prior sit, ad antiquitatem, per quam sapientia iis qui illam assecuti sunt suppetit, vt permulta alia. Dixit porrò Anaxagoras mentem esse quę omnia gubernat, & omnium bonorũ causa est: vt inde demõstret, quod & ille antiquiorẽ esse, & huius vniuersi mẽtem opinatur. *quàm animos.* mentes substantias & naturas intellectuales. *Hac ratione.* hũc in modũ, *annectit*, vel, *affigit.* Sic vtiq; obfirmatus Platonis secta-

Marginal notes: κατ᾽ αὐτήν. p. 5. φιλοσοφίας. — ἡ νοῦς. — προσαπτεσνᾷ. p. 5.

ſectator eſt hic noſter Syneſius, & ita ab eius lingua pẽdet, vt non modò cõplures eius opiniones vſque ad apicem & ſublimitatẽ meditando conſecutus ſit, quemadmodum in ipſo progreſſu enarrabimus, verumetiam ipſaſmet illius dictiones paſſim adhibuerit. & illud. *inſuper nectit*. è Platone aſſumpſit. Ait enim in Phædone, quamcunque voluptatem & ægritudinem veluti clauum habere, quo animum corpori affigat & annectat, corpulentúmque efficiat, quippe qui ea vera eſſe arbitratur, quę corpus dixerit. *affigit*: ſeu in ſuũ ius recipit, & cõglutinat. *virium præſtantiæ*. id eſt propterea quod viribus aliis præſtantior ſit. *reflectitur*. ſimul adducitur, rediit, & tanquam in circulo concluditur. *Hæc quidem argumenta ſunt*. ea argumenta inquit demonſtrationes eſſe, quòd ſcilicet cognitio & ſapientia poſſit euentura proſpicere, & vaticinãdi artificium philoſophãdo circa eas res, occupetur. *quod ſi omnia quidem omni ex parte quidpiã portendunt*. Græcus cùm ſit opinione, ea quæ ipſi ſentiũt cõmemorat, mũdum ſua natura eſſe animatum, & reliquum eſt, quemadmodum ait, vnumquodque animãtium in mundo compoſitum eſſe ex partibus & membris, quæ certè ſocietatem & cognationem mutuam inter ſe habent: Sic & mundus è cælo ac terra rebúſque interiectis conſtans, animal cùm ſit vitę particeps, ſimilia cuilibet animanti partitur & facit, & partes ipſius affinitatem & fraternam concordiam inter ſe habentes exprimunt atque portendunt omnia mutuæ concordiæ euentura, quædam magis, quædam minus. Dein-

προσαπεργᾷ.

Pag. 2. b.
τὸ κατ' ἀρχήν.

αὗται μέν. p. 6.

εἰ δὲ σημαίνει.

ceps progrediens, libro quidem mundum comparat, literis omnes ipſius partes, animantia dico & plantas, aërem & aquam, ſaxa & reliqua omnia. Quemadmodũ igitur in libris literæ ſunt diuerſarum linguarũ, & has quidam agnoſcunt ac pronunciant Ægyptiorum, illas verò Græcorum ſapientes: hiquidem minus & adhuc imperfectè, haud ſecus atque infantes legunt, aut per ſyllabas, aut repente vel dictionem ſimul, alij autem recitant orationem. Eſt autẽ oratio integra propoſitio ex nomine & verbo ſummatim conſtans, veluti Socrates ambulat. Conſtat enim animi cõceptionem & ſenſum aut veracem aut mendacem eſſe. Sed dictio pars eſt orationis, vt Socrates: Quod quidem nomen nec verum nec falſum declarat. Eſt autem ſyllaba pars dictionis, ſicuti ex hac voce Socrates dũtaxat So, quod quidem nihil ſignificat. Sic igitur inquit: Etiam ſapientes, prophetæ & augures animo perluſtrantes ea quæ in mundo continẽtur, tanquam ex aliqua ſpecula id quod futurum & euenturum eſt proſpiciunt, hi quidem ex aſtris, aut ex his ſyderibus ac ſtellis quæ fixæ manent in ſphæra globóque cæleſti, aut ex flammis in aëre micantibus, quæ propriè non ſunt aſtra, nihilominus aſtra videntur, & ipſa communi nomine modò nuncupantur. De Sole autem & Luna ac cæteris errantibus, & præterea de cometis non locutus eſt, quia ex ipſis vident futurum ſapientes, vel quod exploratum ſit omnibus qui illud indicãt, aut quòd in iis acquieuit is qui propinqua dixit, vel putauit ex illis manifeſtum eſſe, quòd etiam

ea ſubintelliguntur. Quocirca ij (vt aiunt) è ſtellis præſagiunt futurum, illi autem è viſceribus victimarum mactatarum, quæ quidem haruſpicina, & è fibris immolatarum hoſtiarum ſectis diuinatio appellatur. Sed nō omnibus inteſtinis haruſpices vtebātur ad explanationem futurorū, ſed ſolo hepate: Viſcera porrò ſunt ſeptem, cor, iecur, ſplen, ſtomachus, pulmo, duo renes.
[*portendūt*] manifeſtant, tradunt. *Et ſunt ea veluti* Pag. 2. b.
multiplicia elementa. cæleſtia, aërea, terreſtria, & & 3. a.
marina. *natura duce edoctus eſt.* qui in natura rerū Σημαίνει.
per experientiā agnoſcit. *alius.* ſapiens. *flammeo-* p. 6.
rum. iſta in igni elementali apparent, vbi veluti ἄλλος τὰ
quædam intercapedo eſt aëris & ætheris. *in ali-* πυρσά.
tum clangoribus. iſtæ quidem ſpeculationes ſunt ἐν ὀρνίθων.
eorum, qui ex auium garritu, volatu aut paſtu futura prædicunt. Alij verò per quædam ſymbola & animaduerſiones præuident, quas ipſi per ſe experientia duce annotarunt. Tremores cordis ac palpitationes oculorum dico, vel alîus partis aut membri, vel naſi titillationes, aut nōnullorum congreſſus inauſpicatos in via, quem malum vulgares occurſum vocant: aut quandam à prætereunte pronunciatam inconſideratè vocem: quemadmodum aliquando accidit Paulo Æmylio Romanorum imperatori ablegato in aduerſarium prælium Perſei Macedonum regis, quē aiunt amplexū fuiſſe filiolam, & eam inueniſſe lachrymis perfuſam, cauſámque mœroris ab ea didiciſſe, quoniam (inquit) Perſeus mortuus eſt. Erat autem ille Perſeus quem dixit catellus filiolæ alumnus: Eum verò pro-

ſpera fortuna dixiſſe, Accipio omen mea filia. Iſta commemorat eloqués atque peritus Cicero
Pag.3.a. in lib. de Diuinatione. *portẽtáque vocãtur.* à multis.
καλούμε-να. *euentus.* caſus, occurſus, qui propter aliud fiunt, propter aliud contingunt. *omnium ſignificatiua.*
Ibidem a. & b. mutuo quodam conſenſu cohærentia. *Itaque ſi ſapientia eſſet.* Volens euidentius adhuc oſten-
Ὡς εἰ σο-φία. dere partium mundi communionem & affinitatem, inquit, ſi etiam auibus ineſſet ſapientia quædam, quemadmodum hominibus ea inſita eſt, artem etiam aues ex hominibus conſtituiſſent, ſicut homines ex auibus finxerunt & conſtituerunt artem diuinandi, quam vocant auguralem & ex auium inſpectione depromptum diuinandi artificium. Et enim quemadmodum aues ſemper ſunt à principio & origininе mundi, & ex quo creatum & coagmentatum eſt hoc vniuerſum vſque in præſens tempus, ſic & homines ſemper ſunt, & ſunt vtrique vtriſque antiqui & noui. Vt igitur hominibus aues quoad diuinationes & oracula ſunt aptæ & idoneæ ad rerum futurarum præſcientiam, ſic eſſent etiam auibus homines per reciprocationem & concordiam apti & idonei ad diuinationem, ſi ſapientia etiam auibus ineſſet: ſiquidem neceſſarium eſſet mundi partes commercium & communicationem mutuam habere, quippe quæ vnius cuiuſdam animantis membra ſunt, quocirca ſympathiam & cõcordiam habent inter ſe, & ſi fas eſt dicere conſpirationem. Eadem proferens ac ſi ſe repræhendat, ambigat, & quaſi ſeipſum interroget dicens: Nunquam maguo-

rum

magorũ illecebræ iſtius modi ſunt. Etenim ſapiens qui nouit mutuam horum cognationem, cùm alia ab aliis allici atque attrahi videat, & ſignificationem à ſe inuicem accipere, aliud trahit per aliud. Veluti, quemadmodum à magnete ferrum trahitur: ita ab hac aut illa materia & tali figura, aut tali voce, hoc aut illud elicitur. vt manifeſtius in progreſſu noſtræ expoſitionis explicabitur. Non enim tantùm arbores ab arboribus alliciũtur, vt palma trahitur à palma, ſtirpes à ſtirpibus, & animantes ab animantibꝰ: verũetiam ab allio piſcis quidã ducitur & alia ab aliis: quinetiam quod admirabilius eſt dæmones ex aëre & terra alliciũtur certis lapidibus, aut leguminibꝰ, aut quibuſdã vocibus, aut iſtiuſmodi figuris, quas etiam characteres vocãt. Hæc vero exiſtimo à Chaldęis & Ægyptiis iampridem inuenta, vt proprium vnicuique dæmoni agnitionis ſignum ſit. At Iynga aiunt auem eſſe quæ caudam ſemper mouet: quam ſagæ mulieres ad vſum adhibent in illecebris amatoriis. Narrant fabulæ fæminam prius extitiſſe, deinde à Iunone in auem commutatam fuiſſe, eò quòd Iouem ſuis philtris ad amandam Ionem pellexiſſet. Aliis videtur Iynga dici lyram ſuauiſsimè concinentem: vt inde quicquid ſuaue eſt, & amorem ac deſiderium excitat ſui, Iyngis nomine appelletur. *Pelliciendi artificia*? præſenſiones, præſagitiones. *Ac certè demulc.* propterea quod attrahitur iſtud per hoc amatorium: & per iſthæc hoc aliud. quaſi dicat, trahuntur cum affectione & perpeſſione aliqua. *Signis*

Motacilla. σεισοπυγίς

fol. 3. b.

colliguntur. significationem sumunt. *Et voces.* Hic autor quasi cum sciente verba faciat summatim & leuiter admodum hæc attingit. Nos vero minimè cunctabimur ea fusius explicare in amicorum gratiã, quæ ex oraculis & præceptionibus Chaldaicis collegimus. Cùm itaque vocum, materiarum & figurarum mentionem fecerit, de materiis primùm tractemus. Ait enim Hecates oraculum.

Perficito signum purgatum, ceu tibi tradam,
Agresti è ruta corpus componito, & orna
Vermiculis vulgaribus, exiguis Scalabotis:
Et myrrham & styracem miscens cum thure Sabæo,
Bestiolásque simul: tum Cælo exponito, Lunæ
Cornua cùm crescunt, peragens sacra cum prece tali.

Arbor Syriæ Cotoneo similis.

Quæ deinceps sequuntur, quærenda non sunt. De vocibus autem, quas interdum Iyngas nuncupant, aiunt Hecatem ipsam dicere,

Veni cùm exaudita mihi tua sint pia vota
Quæ monitis superum mortalia pectora fundunt.

& rursus alio loco dicit:

Illecebris hos immensis ex æthere ducens
Absque labore in tellurem inuitos reuocasti:
At medios medijs clangoribus interfusis
Ignibus absque sacris, diuinos, somnia sicut
Inducis, fœdans non dignis dæmonas actis.

Atque hæc quidem ex oraculis deprompta sint. Chaldæi vero mendaces aiunt esse genios terricolas, tanquam procul à diuina cognitione remotos atq; amandatos. Quòd si vis veritatem ab his aliquã accipere de reb⁹ futuris, fac aram,

Terrestrem quoties venientem dæmona cernes,

Mactato

Mactato lapidem Mnesurim, murmura reddens.
Etenim lapis hic vim habet aduocandi dæmonem maiorem, qui inaspectabili modo terrestri genio se admouens docebit fortasse veritatem eorum quæ inquiruntur, quam rursus ille aperiet ei homini à quo interrogatur. itémque alibi: operare, inquit, circa Hecaticum circulum. est autem Hecaticus circulus sphæra aurea quæ sapphirum lapidem in medio sui inclusum habet, ac per totam extremitatem characteres & figuras varias. hanc sphæram vertentes inuocationes perficiebant, quas etiam Iyngas vocitabant. Iam vero de nominibus quæ vsurpant præcipiunt hac formula, Nomina barbara neutiquam mutaueris. Sunt enim nomina singulis diuinitus imposita quæ vim & efficaciam incredibilem in sacris habent: veluti, Sabaot, Adonai, Cherubim, Seraphim, Abraham, Isaac, Iacob, & cetera eiusmodi, quorum vim & effectum obscurares, vt sapienti quoque Origeni visum est, si ea Græca dialecto exprimeres. Ait porro Æsculapius Mercurij Ter-maximi discipulus, in ea oratione quam ad Ægyptium Regem habuit, his verbis: "Quantùm in te situm est, Rex, præceptiones tibi à nobis traditas obserua ne vel ad Græcos perueniant tam arcana mysteria, vel ampullata eorum oratio & compta, grauitatem & pondus rerum cõprimat ac debilitet, & minus efficacem nominum pronuntiationem reddat. Nam eiusmodi sermones, patria & vernacula lingua explicati perspicuam dictorum intelligentiam continent (siquidem ipsa vocis

De hoc lapide vide Eugub. l. 8. de perem. philo. c. 28.

Origenes ad uersus Celsũ.

qualitas,& nominum Ægyptiorum vis, effectũ eorum quæ dicuntur in ſe comprehendunt) permutati autem & conuerſi in aliam linguam obſcuri & inefficaces fiunt. *voces*. incãtationes & carmina. *Ac digiti pedis*. Vidi ipſemet aliquando puerum quendam, cui cùm ſagitta neruum ceruicis percuſſiſſet,contigit vt inde pes alter torpore corriperetur, & permaneret in reliquum tempus inſanabilis morbus: & cùm pes alter ætatis progreſſu creſceret,hic alter in ea tenuitate & breuitate qua tunc fuerat, conſiſteret, ſuſpenſus, inutilis & otioſus, tanquam pondus inanimum. Itaq; dubitatione afficiebat eos qui cauſas & rationes non intelligebant, quo pacto cùm manus propior eſſet ſine vllo ſenſu doloris permanſit, pes autem procul diſtans condoluit. At verò qui cum rationis iudicio conſiderant res mundanas,pleraque his ſimilia reperire poſſent. neq; enim eũdem ſentiũt dolorẽ omnia corpora neq; omnes corporis artus :ſed id tãtùm corpus quod ad patiendum natura cõparatum eſt : & ea corporis pars quæ ad condolendum apta eſt, & quando & quo modo vſuuenit. Quẽadmodum cùm bonus odor per aërem ſparſus eſt, neque lignum neque lapis,neque verò auris,nec manus, nec pes eum percipit, ſed ſolus odorat⁹. Vt cãtus ſola auris,& colores ſolus aſpectus comprehendit. *In inguen*. βουβῶνα Græci vocant principium coxarum, nempe ſuperius principium pedis. *Vnius enim ambo*. Scribit etiam Ariſtoteles in lib. de Animal. hiſtor. Bobus pedes minus dolere, ſi quis eorum cornua vngat luto, aut pice, aut

pag. 7. φωνάς. τὸ τοῦ δακτύλου.

Ibidem. εἰς τὸν βουβῶνα.

aut oleo. *præstigiis decipitur.* alia est incantatio quæ Goetia, alia quæ magia, & alia quæ pharmacia dicitur à Gręcis. Est enim Goëtia ratio quosdam materiæ immixtos, impuros & maleficos dæmonas inuocãdi, nomen autem ductum est ἀπὸ τῶ γόων, hoc est, à fletibus, quasi luctu digna faciat. Magia vero est ea vis quæ per medios dæmonas materiæ expertes & eiusdem participes operatur. Pharmacîa deniq; est vis noxia per cibum & potum. Eodémque modo aliud est κακοτεχνία, ars malefica, & aliud ψευδοτεχνία, ars falsa: itémque aliud est ματαιοτεχνία, ars futilis. Etenim ars malefica est præstigiatorum, veneficorum & magorum, in damnum hominum inuenta. ars autem falsa est, quæ falsa indicat, vt ea quæ oculos fallit: παροφθαλμικὴν Græci vocant. Postremò ars futilis & inanis est quæ cum aëris percussione perit. *summam in fidibus chordam.* Hæc sumpta sunt ex conscisione harmonici canonis cum exemplorum appositione. Oportet igitur nos principio inde ducto explanare ista, vt lectores perspicuam rerum intelligẽtiam habeant: Concentus itaque, quibus harmonicæ constitutiones conficiuntur, plures sunt: quorũ primus sesquitertia est, quatuor fidibus constãs: hæc vero ex duobus tonis & limmate (quod & semitonium impropriè vocatur) coalescit: in qua, cùm sonus quartæ chordæ confertur cum sono primæ, sesquitertiam proportionem habere comperitur. Secundus concentus est sesquialtera proportio, quæ quidem è quinque fidibus exoritur: ex tribus videlicet & semito-

γοητεύεται.

D. August. de ciu. D. l. 9. c. 9. Suidas paulo aliter hæc distinguit.

Ibidem. ὁ τὴν ὑπάτην.

nio. Hinc etiam ſonus quintæ chordæ compa-
ratus ad ſonum primæ, ſemper proportionem
habet ſeſquialteram. Primam autem chordam
appello hoc in loco quartam primi concentus
qui per quatuor fit. communis enim eſt quarta
ἡ διὰ τεσσάρων. chorda duorum concentuum primorum, finis
quidem eius qui per quatuor fit, initium autem
ἡ διὰ πέντε. eius qui per quinque: hoc eſt, extremũ quidem
ſeſquitertiæ: principium vero ſeſquialteræ. Ita-
ἡ διὰ πασῶν. que duo concentus hoc pacto compoſiti efficiũt
eam conſtitutionem quam per omnes conſo-
nam nuncupant. Nunc autem cæteros concen-
tus miſſos faciamus, quippe cùm parum admo-
dum conducant ad propoſitæ nobis quæſtionis
explicationem. Hæc certè conſtitutio per omnes
conſona fit è fidibus, hoc eſt, ſonis octo, quin-
que vero tonis & ſemitoniis duobus. Sonus
autem octauæ chordæ collatus hîc atque com-
paratus ad primæ ſonitum, perpetuò inuenitur
duplam habere proportionem. Prima ſanè
chorda vocatur nete, acutiſſimũ ſonum emittẽs,
altera paranete, tertia parameſe, quinta ſuper-
parhypate, ſexta parhypate, ſeptima hypate,
grauiſsimum edens ſonum, octaua verò tonus
aſſumptus: à Pythagora ſiquidẽ poſtea aſſum-
ptus eſt. Nam priſca lyra Orphei, ex ſeptem
chordarum concentu conſtabat. Ideóque non-
nullæ huiuſmodi chordarum quoad ſonos acutæ
ſunt, aliæ graues, aliæ mediæ. Et graues quidem
ſunt hypatæ, acutæ netæ, mediæ verò interiectæ.
Ad ampliorem perſpicuitatem expoſuimus li-
nearum demõſtratione regulam octachordam,
hoc eſt

hoc eſt, ex duplici proportione conflatam concordem tonorum modulationem, compoſitam ex duobus tetrachordis & vnico tono: Videlicet, è duabus ſeſquitertiis proportionibus, vnico ſeſquioctauo, vel potius è ſeſquitertia vna & vna ſeſquialtera. Nam ſeſquioctaua proportio copulata cum vnica ſeſquitertia, proportionem efficit ſeſquialteram. Obſeruatur porrò ſeſquitertia proportio in duobus inæqualibus numeris, cùm habeat maior totam minorem, & minoris tertiam partem, vt in quarta & tertia. Seſquioctaua autem, quando maior numerus habet integrum minorem, & minoris octauam, quemadmodum in 8 & 9. Seſquialtera porrò, quum maior numerus continet totum minorem, & minoris dimidium, ſicuti in 3 & 4. Iſtis rationibus pro fundamẽto iactis atque confeſſis, ſolers noſter inquit Syneſius, quòd qui pulſauerit vel commouerit hypaten ſeu grauiſſimam chordam imæ oppoſitam: (eſt autem hæc dictio ψήλας .i. qui pullat quædã vox muſicæ concinna, à verbo ψάλλω, fidium ſonitu canto.) ait igitur, qui, hypaten pulſauerit, non eam quæ iuxta eſt ipſam, nimîrum aſſumptam, mouerit: eadem enim ſeſqui-octauam proportionem habet reſpectu ipſius: verùm propinquiorem mediam, cuius etiam comparatione ſeſquitertiam habet proportionem. Nam affinitate talium proportionum conſentiunt inter ſe latenter, & multùm diſtantes potius quàm viciniores. [*antiquioris melioriſque concordiæ.*] quam habebant priuſquam in ſuam

pag. 4. a. τῆς προγ-νεστέρας. *Ibidem.*

pag. 8. formam producerentur, erántque adhuc materia informis. *non est simpliciter.* compositè
οὐ τὸ ἁπλῶς. vnum: simpliciter enim & absolutè fuerit vnum, fluxus. *ex multis vnum.* qua ratione est compositum. *& ipsarum discordia.* ipsa seditione, ipsa pugna. *dissonorum.* quoniam acutum & graue dicuntur dissona. *concordantium.* quia propriè sesquitertius & sesquialter sonus ac duplus dicuntur mutuo concentu inter se consentire.

Ἀρχιμήδης *Archimedes.* Mirificus ille Archimedes regnante Hierone floruit in Sicilia. Is à rebus sub intelligentiam & animi conceptionem cadentibus ad corporeas geometricam scientiam deflectens, & mathematicæ rationem, potentiæ sentiendi beneficio, miscens instrumentalibus opificiis structurísque artificiosis, euidentiorem permultis reddidit. Ita vt Marcello Romanorum imperatori nauibus atque conatibus compluribus Syracusas nauiganti (illa verò ciuitas maxima erat totius Siciliæ) tantis ac talibus suis artificiosis machinationibus Archimedes obstiterit, ac tam funestæ stragi tradiderit Romanorum classem, vt vehemens ille Marcellus superatus contráq; insurgens & strenuè resistens, admiratus sit viri industriam, & illius artificio obstupuerit, longéque maiores huius vires existimauerit, quàm fabulosos centimanus. Is igitur dicebat ex assignatis viribus cõcessum pondus moueri posse: & addebat ad demonstrationis assertionem & confirmationem, quòd si alteram terrã haberet, concitaret ipsam, digrediens ex hac in illam.

Ibid. p. 4. b. *industrius.* Vates, & in rebus futuris præsagiendis solers.

ſolers. *ipſo.* mundo. *extra mundum.* hoc in loco mundum dicit qui à lunari globo circulóque, inde vſque in terram peruenit & exporrigitur: hunc enim etiam coagmẽtatum eſſe ex quatuor elementis aſſerit, ac naturam habere ad patiendum idoneam, eámque alioqui interdum variari & permutari poſſe, adhuc etiam per incantationem, vniuerſum autem per ludificationem. Quicquid autẽ eſt extra mũdum, videlicet poſt Lunæ ſuperiorem locum, ſimplex & incompoſitum dicit, & mundum immutabilem, nec non perturbationis expertẽ, nullíſq; præſtigiis obnoxium, intelligentiam melius perficientem, ac negligentẽ ex eo loco quæcunque fiũt in tota materia. *ab incantatione & præſtigiis immune eſt.* à perturbatione liberum. *ſecurus eſt.* Iſtud ex Homerico libro depromptum eſt: In primo ſiquidem Homeri Rhapſodiæ ait Agamemnon ad Achillem: *Tu nîl mihi curæ es*, Nec *moueor mihi quòd ſuccenſes.* (*nec trahi blanditiis.*) perturbationum expers. *quod autem affectibus ſubiicitur.* Quiquid reſpicit ad animæ rationem ac mentem, affectione caret: quod autem in materiam vergit, id omne affectibus impellitur. Diſtinguitur autẽ id quod animi paſſionibus eſt obnoxiũ, in id quod rationi paret, & in id quod rationem aſpernatur bifariam. Illud enim dicimus naturale, atque habere vim vegetandi ac nutriendi: hoc verò excitatiuum & animale. Sed ambo hæc haud rationi obtemperare norunt: Neque enim conſilium, neque vllas iudidicandi vires habent. Conſimili modo id quod

οὐκ ἀλεγίζει.

rationi obtemperat, duplum eſt. Hoc enim nuncupamus vim concupiſcendi, illud verò vim iraſcendi. Et illa vis concupiſcendi diuiditur in voluptatem ac dolorem, nam quod proſperè & ex animi ſententia euenit, voluptatem adfert & ingenerat: quod autem aberrando infauſtum eſt, dolorem & ægritudinem. Quod porrò iraſcendi vim habet, in tria diffunditur, in iracundiam, quam ſanè bilem & iram vocant, & in vlciſcendi auiditatem, & excandeſcentiam. Eſt autem iracundia, animi impetus ad efficaciam munerísque perfunctionem principium & commotionem habens: vel animi vehementia ad quidpiam efficiendum: Sed vlciſcendi cupiditas & excandeſcentia eſt, permanens & inſitus furor. *in diuinationibus*. Diuinationem multiformem aſſerunt Græci, eámque diuerſam efficiendi facultatem ſortitam eſſe, quemadmodum paucis in conſpectu atque tractatu huius libri dicitur. Ceremoniam autem dicunt myſteriorũ communicationem, veluti perficientem eos, qui ſacris initiati ſunt. Præterea verò ad animi affectionem habitúmque accedentes huius cõmunicationis gratia adoptatos, eximios, & perfectos vocant. *diſsidentium*. Ea quæ in mundo continentur, omnia concreta & in ſuam formam producta ſunt, ſi ea veluti eſſentias ſpectes, quidpiam vnum intueris, cognationémq; & affinitatem omni ex parte inter ſe habens: Quod ſi eadem formata & in propriam cuiuſq; ſpeciem producta, multitudinẽ cernis diſtinctã

τελετή.

pag. 4. b.

ac diſſidium

ac disſidium habentem quantùm ad eam ſpectat in vniuerſum: Vel potius quando vides per ſingulas ſpecies ea quæ ſunt in rerum natura, vnum intueris diſcretum ac ſeparatum: Quum verò ſecundum ipſius entis naturam, vnum ſpectas in congeriem aggregatum. *legi morem gerens.* Etenim vetat ciuilis adminiſtratio huiuſmodi ceremonias. *Ideo ſummatim.* At nos quidem (inquit) quoad nobis illud aſſequi datur, catholicum & vniuerſum percurrimus, noſtræque orationis ſtylo perluſtrauimus præconium totius diuinationis, ac ſpecimen argumentúmque demonſtrauimus eſſe cõmune optimi vaticinij obſcuritatem. Quæ enim dilucidè & apertè patentérque inter ſpeculandum obſeruantur, neque diuinationis cuiuſdam fuerint, neque demonſtrationis indiga. Nunc porrò noſtrum inſtitutum noſtérque ſcopus eſt, immorari in optima præſtantiſsimáque ipſius conſideratione, necnon exactiorem eiuſdem indagationem efficere. [*ſummatim*] generaliter & vniuerſè. [*ipſa*] vaticinandi ars. *pro virili parte.* quantùm virium noſtrarum facultas patitur. *exornata ſit.* à nobis. [*optimam*] reſpectu aliarum diuinationum. *ei qui deprompſerit.* detraxerit & eripuerit, ſpecialiter, & adhibita formarum diſtinctione. *ſignum commune.* ſpecimen, documentum & argumentum. *reprehenſionem.* refutationem, demonſtrationem. *in integra natura.* manifeſtè & exactè. *iſtud venerandum*) obſcurum. *& inde.* Herodotus geſta Perſarum literarum monimentis tradens, & in aliis ſuis libris quos de hiſtoria

καὶ δὴ τὸ ὅλον. p. 9.

pag. 5. a.

In Polymnia, lib. 7.

Vide etiam Plutarchũ in Themiſtocle. compoſuit, iſta de Græcis commemorat: quòd cùm Athenienſes ad Delphicum miſiſſent oraculum, reſpondit Pythia ſacerdos, cui nomen erat Ariſtonice, hæc quidem primùm.

Quid miſeranda ſedes gens?i,fuge ad extima terræ
Ædibus, & iugibus deſertis vrbe globoſa.
Nam caput & corpus nuſquam ſincera manebũt,
Extremíve pedes nequeunt ſupereſſe manúſve,
Aut mediũ:ſed enim ignis edax hæc arida reddet,
Et Mars acer equis, vrgens Syrium agmine currũ.
Mox perdet pleraſque, tuas non ſolius arces,
Ac multas Diuûm rapidis dabit ignibus ædes.

Et primùm quidem iſta: deinceps autem talia ſupplicibus reſpondit Pythia vates.

Non poterit multis hortatibus vſa Minerua
Et precibus blandita Iouem placare ſupremum.
Hoc tibi fabor itẽ reſponſum adamãte propinquãs:
Nam reliquis captis quæ limes Cecropis oræ
Intus habet, quodcumq; ſacer penetrale Cithærõ,
Iuppiter è ligno muris Tritonida donat:
Qui muri inuicti tibi ſint, natíſque ſaluti:
Tu verò aduentũ peditúmque equitúmq; quietus
Terreſtrésque acies noli expectare: ſed hoſti
Terga dato, vel ſi tibi fors erit obuius vſquam:
Diuina ô Salamis mulierum pignora perdes,
Vſquam vel Cerere inſperſa, coëunte vel ipſa.

In caſum. ſenſum oraculi minimè intelligẽs. *hæc capeſſenda eſt.* ſtudioſè huic incũbendum eſt. *mẽs* *pag. 5. b.* *ſiquidẽ.* cohærẽs & adiuncta cõditori omniúmq; rerum opifici. [*ſpecies*] primorũ, ſecundorum, tertiorum, quartorum: mens, anima, ea quæ fiunt, ea quæ reuera exiſtunt. *Ergo vicibus alternis,*

nis, mutatóque ordine. Euidentius demonſtrare ἐναλλὰξ ουυ.
volens eorum quæ propoſita ſunt ſimilitudinẽ,
vel vtiq; quam habet rationem mens & anima Pag. 5. b.
ad ea quæ reuera exiſtunt, & ad ea quæ fiunt
ſeu eueniunt, definitiones & verba quædam ad-
hibuit è quinto Euclidis elementorum. Ait
enim Euclides in definitionibꝰ quinti elementi,
ὅτι ἐναλλὰξ λόγος .1. Proportionem ordine mutato Defin. 12.
& alternatim ſumptã, eſſe ſumptionem antece-
dentis ad antecedentem, & conſequentis ad
conſequentem. Sed exempli gratia pro axioma-
te ponantur hi numeri, 16. 8. 4. 2. Quam pro-
portionem habent 16. ad 8. eandem habent 4.
ad 2. & antecedens eſt numerus 16. numero 8.
Ergo ordine alternatim mutato occurrit pro-
portio, poſteaquam ſumpſeris numerum an-
tecedentẽ 16. & comparaueris cum numero an-
tecedente 4. & conſequentem 8. cum conſe-
quente 2. Etiam rurſus demonſtratur ſimili-
modo, vt quam habet proportionem numerus
16. ad numerum 4. eandem habet etiam nu-
merus 8. ad 2. Hinc igitur indicat & oſtendit
quòd quam rationem & proportionem habet
mens ad animam, eandem habent ea quæ re
vera exiſtunt ad ea quæ fiunt & eueniunt: Et
alternatim ordine mutato, quam habet ratio-
nem mens ad ea quæ reuera exiſtunt, eandem
habet anima ad ea quæ fiunt, & eueniunt. *ac
præpoſterè.* & iſtud è ſcriptis Euclidis deprom-
ptum eſt. Ait enim ille in ſuis definitionibus Defin. 13.
quinti elementi, Ordine inuerſo eandem pro-
portionem ac rationem eſſe ſumptionis conſe-

quentis, vt antecedentis, facta comparatione ad antecedens, vt ad conſequens. Sed ad perſpicuitatem & explanationem huius rationis ponantur è propoſitis numeris, numerus *16.* & numerus 8. Eſt igitur numerus 16. antecedens, at 8. conſequens: Quòd ſi ſumamus numerum 8. tanquam antecedentem, & comparemus ipſum velut ad conſequentem *16.* fit ordine inuerſo proportio. Ait ergo hîc quoque ſi ſumamus velut antecedentem terminum animam, & comparemus tanquam ad conſequentem mentem, ſimiliter etiam ea quæ fiũt & eueniũt ad ea quæ reuera exiſtunt, occurrit cõuerſa & præpoſtera ratio, & nihilominus inuenitur etiam ita verum id quod à nobis his de rebus propoſitũ eſt, velut axioma & pronuntiatum. *conſtitutum.* præſcri- προβάλλει. ptũ eſt. *promit.* nempe anima. *& illuminat.* illuſtrat ac docet. *priuſquam eas communioni.* rationi, vel vtique per rationem mente conceptam. *vis animi moderatrix.* vel vtique mens [*vis*] mens communicat cum rationali anima per interiacentem rationem: at rationalis anima communicat cum ſenſitiua, & cum organicis ſentiendi partibus, per medium & interpoſitum ſpiritum fantaſticum. Rurſus anima ſenſitiua communicat cum naturali per alendi, vegetandi, augendíque ſpiritum. Ait porrò Plotinus, quòd quemadmodum in enunciatione oratio effigies ac ſimulachrum eſt rationis quæ eſt in anima, ita etiam anima eſt imago mentis. *manifeſtas fecerit.* ipſi animæ. *primaria animi parte.* ſcilicet ra- ἐκμαγεῖα. tionali. *imagines.* typi, formæ & ſimulachra. *ibid.pag.6.a.*

vita

vita hæc. fantaſtica, & quoad ſentiendi facultatem vita, per quam cõmunicamus cum rationis expertibus, vel potius actio ſpiritus fantaſtici, quæ viget inter ſomniandum. *in proprietate naturæ.* videt enim ſeorſim in animalibus ratione vtentibus. *ſenſuum organa.* obſcura & potentiora, per quæ manifeſta hæc & ſub oculorum ſenſum cadentia nobis conſtant, & efficaciam habent. *etenim colores.* primùm beneficio & ope ſpiritus fantaſtici, deinceps per externos ſenſus, qui tanquam riuos excipiunt vires inde diuerſis rationibus procedentes, & prout vnumquodq; ſitũ & collocatum eſt, quẽadmodum in meatu aëris contingit. *tactuúmque.* nã ſuprà dixit mentem habere formas eorum quæ reuera exiſtunt, ſed anima ſpeciem habet eorum quæ contingunt & fiunt, ſimiliter & fantaſia, nedum etiam magis. *nullam efficiendi vim habentibus.* quia anima præoccupauit (inquit) notitiam eorum quæ fiunt, coarctata verò & implicata à carnali cohærentia, indiget etiam corporeis inſtrumentis, vt per ea doceatur & memoria repetat. *nũm igitur.* vel vtique præſtantius organicis ſentiendi facultatibus. *hoc genus.* Quàm ipſa fantaſia, & eius ſentiendi organa. *per ipſum.* fantaſticum ſenſuum domicilium. *increpantibus.* diis. *futura prænuntiantibus.* vaticinantibus, ſeu oraculum edentibus diis. *reliquis in rebus noſtri reſpectum habentibus.* ac de nobis ſolicitis. *ſi cui certè.* nam probabile eſt vſúque euenit in ſomniis viam commonſtrari ad inueſtigationem theſauri. *ſi quis.* iacens, ac dormiendi cauſa

νουθετοῦσι
pag. 6. a.

caput reclinans. *poſtea.* Aiunt etiam poëtam Heſiodum, cùm prius quidem eſſet paſtor ouiũ, quodam die inter ſomniandum iuxta Cithæronem Theſſaliæ montem reclinatum cenſuiſſe ſe muſas obſeruauiſſe ad ſe accedentes, & folio lauri ſeipſum nutrientes, & confeſtim expergefactum in ſapiẽtem & induſtrium poëtam euaſiſſe. *poëta.* vt Heſiodus. *tulit.* Heſiodum & alios. *inſidias.* Etiam Annibal Carthaginenſis victus à Scipione Africano in Bithyniã fugit ad Pruſiam: paulo autem poſt Roma illuc profectus Titus Romanor. imperator propter aliam quandam neceſſitatem & miniſterium, animaduertens obſeruánſque Annibalem, nec non grauitatem ac viri experientiam ſuſpectam habens, ne denuò in Libyam & Carthaginem reuerteretur, apud ſe meditatus eſt eum ſæuè interficere. Quam rem per quædam inſomnia cognoſcens Annibal ſe ipſum exhauſto veneno ex hominum cõſortio emiſit & emouit, ita poſtremùm loquutus : Iam ceſſare tandem faciamus
» vehementem Romanorum ſolicitudinem, qui
» moleſtum, graue ſerúmque exiſtimauerunt o-
» dioſi ſenis mortem expectare, ſed tanquam
» auem implumẽ & mutilam præ ſenectute eum
» acerba morte è medio tollere volunt. *indemnem.*
ἐξάντη. citra detrimentum & iacturam. *morbum.* Eſſe
ibid. pag. 6. b. quidẽ permultos alios non captioſum nec à fide alienum fuerit, ante omnes Ariſtides orator in eorũ numero adſcribitur: Indicant hoc quodámodo diuinæ eius hunc in modum ſcriptæ orationes. *inſtitutio.* hæc via acceſſu difficilis. *audiat.* illa in-

illa inquirat & inuestiget: Ea quippe silentio præetermittit, neque integra recitat. *somen internus.* insitam intelligendi potentiam. *suæ virtutis.* inseuit è sua. *virtutis.* potentiæ. *felicitatem* quandoquidem exoritur à nobis. *inter somniandum* ab ipsis somnis. *suæ virtutis fructus participē facit.* is quidem asserit somnia à Deo procedere, Aristoteles autē ait insomnia non esse à Deo missa: Si enim (inquit) à Deo data essent, mitterentur duntaxat ad eos qui cum virtute & vitæ integritate commercium habent, & circa res diuinas occupantur: At nunc quosdam videmus facinorosos homines & imperitos, nec doctrina nec virtute præditos in somnis videre. Contingit enim vt tales inter somniandum probatis viris sint feliciores ob prosperam corporis valetudinem & temperiem. Illi quippe crebro minime confusa rerum obseruatarum spectra custodiunt, & fantasiæ simulachra, eueníque vt eorum nonnulla seria vera que sint. Proinde negat Arist. & complures alij externi ac seculares philosophi à supremo numine missa esse insomnia: Esse igitur quandam geniorum ac dæmonum naturam dominium habentem eorum quæ in somniis apparent, istúdque communi consensu facile statuitur. *nam fructuosum reddere.* Ante oculos nostros subiicere volēs, haud minus esse assequi & obtinere, quàm discere, ex abundanti dicit plus esse, vt id quod est æquale consequatur. *in fantastica vita.* in quibusdam libris scriptum est ζωὴν, vitam, in aliis ζωῆς, vitæ, oportuit enim vtrumque collocari, sed propter in-

τὸ ἐνθεῖν.

pag. 12. ἀληθῆς.

pag. 7. a. ἐ μοιρίαν.

εὐθυόνειροι qui vere & recte somniant. Arist. lib. de Inst.

Ibid.

Variet. lectionis.

ſolentiam vnum ſubticuit; verùm ponitur alterum ex ambobus, quale quis voluerit: ſumit autem extrinſecus etiam alterum defectiuè. *aduerſus eos.* qui neque ipſis minoribus præclaris rebus digni cenſentur. *ſi ita intelligant.* illi ipſi qui opinione tenus ſunt ſapientes. *quæ repudiatæ ſunt ab oraculis.* Diuina Ægyptiorum præſcripta innuit. *hoſtijs non.* quòd videlicet commodæ non ſint. * [*ludicra*] ſunt enim ludibria. *qui nimirum.* per victimas & exta vaticinantur. *artes quidem.* eas dicit quas magorum illecebras ſupra nuncupauit, magos quidem vocans eos qui non grauantur eos illices ad vſũ adhibere: Iyngas verò dicit varias & diuerſas artes, quæcumque multiplici forma, per victimas & extorum inciſionem ab illis perficiebantur. *quid igitur.* quid ergo, inquit, abſurdum eſt, quòd ſapiens, quatenus eſt ſapiens, etiam amplius ferat & vltra cõmunitatem progrediatur, atque hunc in modum fiat ſapiens? *in hac ratione doctus.* & ita, videlicet per inſomnia. *atqui.* Etenim, vel enimuero. *publicum magis.* cõmunius. *res eſt beata* imo quæ fieri non poteſt, & nemini datur. *per fantaſiam aſſequi.* non per vnicam fantaſiam & imaginationem in propinquo fuerit humanæ facultatis cernere ipſum Deum, quoad eius fieri poteſt antiquiorem. *ſenſus eſt ſenſuum.* quippe qui princeps eſt ſenſuum organicorum. *communiſſimum.* vt quod communicat ſe diuerſis ſentiendi inſtrumentis. *& corpus primum animæ.* Ille (inquit) communiſſimus ſenſus eſt quoque corpus, tanquam cognatione

[Margin notes: *ibid.* — Verſus ita exprimi poterat, *Viſcera nil moror, & ſacra, ſunt hæc ludicra cuncta.* — *pag. 7. b.* — *pag. 13.* δημοσιώτερον. — *ibid.*]

gnatione ac propinquitate quadã cum corpore coniunctior sit, ac interueniat corpori & animæ. Ipsum porrò primum corpus vocat, velut immediatè consuetudinem habens cum anima. Corporea enim sentiendi organa haud immediatè commercium habent cum anima, sed per interpositam & interiectam imaginationem. *Sed ille.* Spiritus fantasticus in hominis capite habitat. *animalis.* Ista quidem noster. At Plato in Timæo dicit, *Verùm cibi potúsq; cupiditatem in anima, & quicquid propter corporis naturam defectum inopiámque continet, in interpositam præcordiorum ac termini ad vmbilicum vergentis partem statuerunt: vbi Deus iecoris formam (ait) constituit, & collocauit ad illius domicilium id quod succi plenum & obesum est, politum, luculentum, dulce & amaritudinem habens molitus est, vt in eadem cogitationum ac sensuum è mente allata potentia, non secus atque in speculo admittente formas & imagines, ac perspiciẽtiam simulachrorum suggerente, timeat quidem quando parte amaritudinis vtens hoc & illud facit: dulcedine autem suæ naturæ coniuncta secum vtens, & omnia quæ in eadem recta, læuia, expedita & libera sunt dirigens, alacrem atque prosperam efficit in domicilio collocatam iuxta hepar animæ sortem, ac tempore nocturno mediocre oblectamentum habentem, in somniando diuinatione vtitur: Quandoquidem rationis & intelligẽtiæ non est particeps. Deus propterea in ea vaticinium reposuit. Sufficiens & idoneum est argumentum à Deo diuinandi artificium humanæ imprudentiæ datum esse. Nullus quippe mentis compos attingit vaticinãdi scientiam diuino numine instinctã*

ἀλλὰ τὸ. τοῦ ζώου. ibid. pag. 7. b.

„ *& veram , sed aut sopore detentus prudentiæ vim,*
„ *aut propter morbum, aut sapientiam numinis afflatu*
„ *conceptam immmutatus , & à se ipso discrepans.* Et
„ paulò post dicit *itaq; hepatis natura eas ob rationes*
„ *talis & in eo quem dicimus locum diuinationis in-*
„ *dita est causa.* [*sed sentiendi instrumẽta.*] respectu
primi & communis sensus. *à quibus.* sensibus.
pag. 8. a. *sensus est absolutus.* vniformis. *dispensat.* consimi-
αἴσθησις. liter atque in attracto per fistulam aëre : vnifor-
διανέμει. mis enim cùm sit, variatur per tibiæ foramina
exiens, acutior effectus , aut grauior , aut inter-
medius, vel consonans, vel inconcinnus. *ac sunt
veluti.* De centro ac rectis lineis verba faciens,
virtute & potestate simul mentionem fecit cir-
culi aut globi: Siquidem fieri non potest vt
centrum consideretur & excogitetur sine circulo
& sphæra, quemadmodum circulus aut sphæ-
ra sine centro. Asserunt igitur geometricæ de-
finitiones , circulum esse figuram planã & latam
sub vnica linea circumactam , quæ vocatur cir-
cumferentia , ad quam quæ à centro ducuntur
lineæ rectæ , inter se sunt æquales. Pro-
inde hoc in loco fantasiam seu imaginationem
centro atque radici assimilat, rectis autem ramis
& lineis emissas & exeuntes illinc ipsius vires,
vsq; ad sensus organicos, visus, inquam, auditus,
& aliorum trium , quas quidem omnes vnam
profectò dicit ad centrum radicémque spectare:
multas verò quantùm ad progressam illinc ex-
planationem. Atqui imaginationem sensum vo-
cat communem, & propriè diuinius sentiẽdi or-
ganum , nimirum immediatè versantem cum
animi

animi parte quæ intelligentiæ & rationis capax eſt: ſed maximè animalē, belluinā, craſſiorem, corpulentiorem,& abuſiuè nominatam ſenſum efficiendi vi prӕditum, propter oppoſita & exporrecta apparentiáque ſentiendi organa, oculorum dico, auricularum, narium ac reliquorū. *maximè eſt animalis.* oſtendit per ſuperlatiuum gradū imaginationem craſſiorē ac pinguiorem eſſe. *ſenſus.* nam vſque ad craſſitudinem ac pinguedinem ſaginatur,& ſic capax eſt rerum quæ in generatione & corruptione conſiderantur. *diuinior.* Quem propriè ſpiritum fantaſticum dixit *immedtatus ſenſus.* quem ſupra primum dixit: nunc immediatus ſenſus dicitur imaginatio. *quod ſi ſenſus corporeos.* hoc eſt, ſentiendi organa. *vidimus.* videlicet & quæ audiuimus. *decipit.* propter iſta tria, ait, mentitur oculus: in primis ob naturam eorum quæ ſub aſpectum cadunt,quemadmodū pauonis penna pro certo quodam ſitu diſtinctos oſtendit colores.Deinde propter aërem & aquam, & interuallum: Etenim aër quidem interdum humidus eſt & craſſus, aliquoties verò ſiccus ac tenuis. Et ſpatium eius quod ſub aſpectumcadit nonnunquam eſt exiguum, interdum verò amplum. Tertiò propter ſuam impotentiam. *decipit.* Etenim, ait, ipſemet oculus fallit, mentitur ac decipit *& per quæ cernuntur.* ſcilicet per aërem & interiectum ſpatium. *ſpiritus fantaſtici morbo laborat.* Nam ob prauitatem conſilij homo deducit animam in materiam, & hinc diſponit fantaſiam ad vitium & langorem, ſicut aiunt multis eue-

ζωωδεστά-
τη.
ibid.
pag. 8. *a.*
pag. 14.
αἴσθησις.
ibid.
ibid. pag. 8. *b.*

nire poſt cibum , & potiſſimùm paruulis. Eſt quippe vehemens à cibo ſuffitus vaporúmque emiſſio, & motus confuſus ac inæqualis, & ægrè diſcernitur ab illis ſanè quibus omnino non eueniunt inſomnia, aut contingunt inæqualia, diſſimilia & coniectu difficilia: qualiter fit in aqua. nam quietæ, puræ, ſynceræque euidentia ac dilucida ſpectra apparent: in commota verò & cõturbata vel planè non inſpiciuntur ſimulachra, aut inæqualia, diſsimilia

pag. 8. b. & cognitu ardua. *luſtratus.* apud Græcos quidem

καθαιρό-μενον. imaginationem aſſerit expiari & luſtrari ceremoniarum beneficio: At piæ religioſæque no-

ibid. ſtræ Eccleſiæ homines eam luſtrant modeſtia,

Nota Christianam purgandi ſe rationem. temperantia, vigilantia & ieiunio.* Et ita purgatus ille ſenſus capax eſt qui Deum admittat: Nihilominus priuſquam in ſeipſum Deum excipiat & introducat, vrget & extrudit prius antecedentes errorum inſinuationes, quæcunque ingrediuntur & adeunt imaginationem per ſenſuum organa. Et hanc aſſerit vitam ſecundum naturam, aſſeruare puram, ſynceram ac nitidam imaginationem ab iſtiuſmodi peccatorum ingreſſu. Corporis enim & animæ communis eſt,

ibid. & operæpretium eſt, vt puram habeat cum anima cõmunionem. *per expiationes luſtrat⁹.* quippe qui expiatur & purgatur apud noſtros probos homines ieiuniorum vigiliarum & aliarum virtutum auxilio. *inſinuationes.* ita vt hinc etiam per organicos ſenſus productæ inſinuationes, excurrant & progrediãtur, antequam Deus ſuperueniat & illabatur in imaginationem, quatenus

compre-

comprehendi poteſt. Cõfeſtim enim properant tales inſinuationes priuſquã Deus admittatur à ſpiritu fantaſtico: Excurrunt autem per ſpiritualem purgationem. *ſecundum eius naturam.* cõtinentis, tẽperantis & probi. *rurſum ſit.* non modò corporis, verumetiam animæ rationalis ac mentis. *ſpiritus iſte.* fantaſticus, & imaginandi potentia inſtructus. *nec affectibus ſpoliatur.* non eſt alienus à natura animæ, ſed conuenit & conſentit cum ea, ſimiliúmq; paſſionum eſt particeps, nec per ſe manet peculiarem habens naturam velut corpus, quod quidem oſtreorum inuolucrum dicit, propter duritiem, rigorem & formæ diſsidẽtiam, quam habet aduerſus animam. *oſtreoiū.* Multis ex partibus oſtendit induſtrius hic Syneſius, acer & ſingularis Platonis æmulator, quia non ſolùm ex opinione eadem cum illo ſentit, ſed etiam ex animi conceptione & ſenſu docendíq; ratione, immo ex ipſiſmet dictionib⁹. Nam quòd corpus integumentum & inuolucrum oſtrearum dicitur, hinc habet principium. Ait enim ille in Phædro altius ſuorum conſiliorum rationem repetendo exorſus, & alia, & hæc præterea: Qui videlicet, inquit, ſacris initiati ſunt « & ſpectandi licentiam obtinent, nitido ſplen- « dore nitidi, & nullo ipſius ſigno notati, id « nunc corpus nuncupamus, quod vincti & præ- « pediti oſtrei, more, circumferimus. Et illud vitiati radij illinc principium habet: vitium enim peccatum hac ratione vocat Plato: & deorum currus ob æqualitatem põderis atque momenti cum ductiles tractabiléſq; ſint facilè mo-

pag. 15.
διὰ τῦ κα-
τὰ φύσιν.
pag. 8. b.

uentur: reliqui verò magna cum difficultate. Nam deorſum vergit vitioſitatis particeps, equus in humum propenſus atque offendens aurigam à quo haud conuenienter educatus eſt: vbi certè labor & ſumma contentio animæ proponitur, & cætera. *bonitate cumulati.* hoc eſt

pag. 9. a. ſpiritus fantaſticus, propter animam ad bonum

ἀγαθυνο- vitæ inſtitutum accedentem. *deprauati.* à ſuccũ-

μένης. bente & aberrante materia *is enim.* ſpiritus fan-

ibid. taſticus. *communis terminus.* Communem terminum amborum eſſe dicit imaginatricem animæ facultatem, vtrinque collocatis extremis cõtrariis, corporis videlicet & incorporeæ naturæ, rationis ac dementiæ, materiæ & eiuſdem priuationis, & medio eius interuẽtu oppoſita coeũt & copulantur. Sed diuina ſunt, inquit, materiæ expertia & incorporea, infima verò materialia & corporea atque ſub ſenſum cadentia. Eam ob rem aſſerit arduum ac difficile eſſe definiendo eius naturam circumſcribere & exprimere quid ſit, quemadmodum affirmando enunciamus de anima, eam eſſe ſubſtantiam incorpoream & materiæ expertem, nec non ſenſuum facultatem excedentem: Rurſus de corpore, quod ſit ſubſtantia materialis, fluens & concreta. Fantaſia quippe nec corpus eſt, nec penitus expers corporis, & ob id neque corporis poteſt definitionem admittere, nec rei incorporeæ. Etenim colligit & emendicat aliquid ab vtroque contrario, corpore inquam & incorporeo, quantùm congruit & quadrat ſuæ ipſius naturæ, & conflatur vna quædam natura ex tam ſemotis

naturis

naturis composita. *amborum.* animæ rationalis & corporis. *diuina.* imaginationis. *designari.* apprehendi, contineri, definiri & intelligi. *imaginatricis essentiæ.* id est, ipsam imaginationem. *verùm ipsa.* nutritiua, vegetatiua, & sensitiua. *pecudis.* quòd rationis est minimè compos. *atqui purgatur.* Velut araneus apis & formica natura duce sua opera efficiunt, qualia neque hominum perspicacissimi valeant peragere. At simiarum paruuli fœtus atque vrsarum, & complurium aliorum animalium, naturam habẽtes flexibilem ad disciplinam, docentur ab hominibus, & ad multa humana opera fiunt commodi & idonei. [*atqui*] vel naturaliter, vel per humanam informationem & educationem. *quidpiam excellentius.* validius ac cognitione sublimius. *cuncta dæmoniorum genera.* Prisci quidem illi Græci deorum ac dæmonum differentiam esse dixerũt: ac deos quidem maiores appellarunt, dæmonas autem inferiores. Sed Synesius aliquando inter illos assignat discrimen, interdum verò indifferenter vtitur istis nominibus. *cuncta dæmonum genera.* Sed omnia dæmonum genera, inquit, quæ in hoc mundo versantur, hanc vitam sortita sunt, quæ nimirum vim sentiendi habeat. Nam vt summatim loquar, illa dæmonum genera solæ sunt imaginationes. *secundũ totam ipsorum essentiam.* prout eorum essentia creata est. *& imaginaria sunt.* Idola, inquit & simulachra quæ sunt corporis expertia, habent vtique quidpiam crassitudinis, alia plus alia minus: videtur itaque hîc Synesius Democriti & Sexti opinionem &

pag. 15. ἀμφοῖν.

pag. 16. τοῦ ζώου.

pag. 9. b. τι κρεῖττον.

ibid.

pag. 9. b. καθ' ὅλον.

ibid. εἰδωλικά.

aliorum Græcorum ſequi: Aſſerũt enim illi eſſe quædã dæmonia circa terrã & aërem, craſſitiem quidem habentia & coagmẽtationem affectionémq;, humanis oculis inuiſibilia, qui quidẽ ſani ſint, quæ & ſpectra vocãt: propterea quòd incolumẽ retinẽt & cõſeruant, opinor, quandã figurã & inanem ſpeciem ac ſimilitudinem angelicæ & à materia ſemotioris naturæ, ex qua lapſa ſunt: & corruptu quidem difficilia, ſed non perpetuo immortalia: eorum nonnulla noxia & maligna ſunt, alia verò benefica. Aiunt itaque eadem propius ad homines accedere, eíſque ſe adiungere, ipſis potiſſimum dormientibus, ac prædicere multa quæ euentura ſint: fieri quidẽ certè huiuſmodi prædictiones à bonis dilucidas, & animi alacritatem mouentes, ſed à noxiis & & infeſtis, contrarias. At hominis fantaſia non eſt circulus, ſed latente quadam vi figuras rerum extrinſecus fluẽtium recipiens ſubiicitur, haud ſecus atque liber qui ab intelligẽtia legitur ac perluſtratur, & in rebus apertis & conſpicuis domeſticè ipſa ſeipſam docet ea quæ admittere fas eſt: Sed in obſcuris ſibi etiam adſciſcit intellectuales animæ vires, & fit veluti conſilij captandi receptaculum de rebus agendis. Etenim intelligentia niſi ab imaginatione meditationes mutuetur, non obtinet circa genitam ac fragilem rerum naturam vllam efficaciam. *per ipſam.* facultatem vtique vel potentiam. *cum alio.*
ibidem. id eſt, cum mentis intelligentia vt plurimùm.
αὐτῶν. *viſionis expertes.* ſed fantaſiæ cõnexas. *niſi quiſpiã.*
hoc

hoc excepto. *in minimo temporis puncto.* Quemadmodum diuini Prophetæ, ac diuus Paulus, repentino quodam mentis excessu extra se rapti. Tunc enim mens ipsa quodámodo extra materiam posita, & prætergressa corpus, occultè cernit secundum naturam mentis sine vllo errore. Eam ob causam ait diuus Paulus: Scio hominem, siue in corpore siue extra corpus nescio, & reliqua. *in minimo temporis puncto.* in modico, cõtinuo, sine vlla intermissione facto & breuissimo. *Contrectationem habuerit formæ materiæ expertis.* nempe, doctrinæ diuinitus inspiratæ. *super fantas. prospicere.* vt cùm intelligentia transgreditur fantasiam. *arduum est.* Quantò res est difficilior, tantò beatior vltra imaginationis facultatem prospicere. *imaginatione priuatam.* ratione & intelligentia præditam. *obiecta.* nobis exhibita & in conspectum nostrum veniens. *is quippe spiritus.* imaginationem aliquoties vocat spiritum fantasticum, aliquando animalem spiritum, interdum corpus primum animæ, nonnunquam spiritualem animum, quandoq; verò communem terminum corporis & animæ. *animalis.* nempe fantasticus. *felices.* apud Ægyptios sacri scriptores. *genius.* secundum eius habitum.* *pœnas.* castigationes, emẽdationes. *in eo luit.* retribuit. *oracula.* prisca. *visionibus.* qualis est enim cuiusque vita, tales etiam inter dormiendum imaginationes, & consentaneæ eum sequuntur, quæ veluti diurnarum curarum reliquiæ extremáque vestigia sunt. Et cuiusmodi sunt in quiete imagines par & consentaneum quoque

Cor. 2. c. 12.

ibid. περιβεβλημένη.

ibid. καὶ δαίμων.

* lego προύχοντι.

p. 10. a. ὄναρ φαντασίαις.

eſt, vt talem pariter conſtitutionem poſt migrationem & corporis interitum illic anima reperiat. *animi vitam.* Platonis ſermonem inquirit, quem Phædonem inſcripſit. *& philoſophia.* Ait enim Plato in illa de animi immortalitate oratione ſub Socratis perſona: Quoniam magna vehemẽnſque ſpes eſt cuipiam illuc emitti, quò ego proficiſcor, ſi alicubi, illic etiam affatim ac ſufficicienter eius rei ſe compotem fieri, cuius gratia in hac præſenti & caduca vita tam aſſidua frequentiaque ſuſcipimus negotia. Quocirca hæc migratio in præſentia mihi iniuncta atque præſcripta cum bona ſpe contingit, eámque libenter ſuſcipio: ſimiliter quiuis alius qui putat ſuam mentem velut expiatam, & vitiorum inquinamentis ac ſordibus purgatam. Eius porrò luſtratio & expiatio eſt, vt quàm maximè animum à corpore ſegregemus, & eum aſſuefaciamus vndecumque extra corpus colligi & cõuocari, tanquam vinculis ſolutus ſit. *& philoſophia.* ſcilicet Platonis, & eorũ qui idem cum illo ſentiunt, quot quot ſunt. [*ſecundarum.*] earum quæ poſt mortem eueniunt. *primas viuendi rationes.* circa quas in huius vitæ caducæ curriculo imaginandi facultas occupatur. [*eum.*] ſpiritum fantaſticũ. [*abſtergentis*] & peioris igitur habitus *ſqualorem.* eum emittentis in immundam illuuiẽ. [*eleuatur.*] ſpiritus fantaſticus. *propter calorem.* Quæ interueniunt propter ieiunia, vigilias, necnon humilitatem animíque abiectionem. *& is vtique ſpiritus.* Potentiæ quæ plures ſunt circa corpus animi, in vnica duntaxat intelligendi & ratiocinandi

καὶ ἡ φιλοσοφία. Ibid. & pag. 18.

εἶναι δευτέρων. ibid.

ratiocinandi vi cum supremo numine mentéque mundi moderatrice communicant, quam sanè iure optimo Plato quoque alam nuncupauit, nimirum deducentem à fragilibus, & interitui obnoxiis rebus atque terrenis animum ad cæle-stes, & diuiniores, neque sinentem labefactari conspurcaríque suam imaginationem materialibus affectionibus. *& illud rursus.* nimirum imaginationis purgatio. *terræ cauernas.* imos gurgites. [*ingreditur.*] Quandoquidem solers hic noster Synesius, sicuti diximus, omnibus in rebus Platonis est acerrimus sectator, hîc quoque permultis ab illo desúmptis vtitur sententiis: æquum fuerit illius dicta hoc in loco exponere pro alia quaui interpretatione. Ergo, inquit ille in Phædone, de anima polluta & impura verba faciens, quòd cõtagione corporea infecta inuolutáque sit, quam ipsa consuetudo congressúsque cum corpore, propter continuam familiaritatem, cultúmque assiduum congenitam & geminam effecit. Ponderosum verò id putandũ est, graue, terrenum & visibile, quò cum præpedita sit talis anima, grauatur atque trahitur rursum in locum visibilem formidine tenebrosi, caliginosi & in orco occulti, quẽadmodum fertur circa monumẽta sepulchráque assiduè versatur: circa quæ profectò iam nonnulla apparuerunt animarum vmbrosa fantasmata, qualia præferunt & exhibent simulachra tales animæ, pœnas luentes vitæ facinorosæ anteactæ. Itaque tandiu circumuagantur, quoad cupiditate naturæ corporeæ comitante, rursus induant corpus.

Induunt autẽ, vt verisimile est, eiusmodi mores, quales in vita exercuerunt. Veluti eos qui ventris ingluuiei dediti fuere, & contumeliis, flagitiis, compotationibúsque vacantes inertem atque lasciuam vitam egere, nec quicquam pensi pudorísque habuere, consentaneum est asinorum & similium belluarum corpora subire: Eos verò qui iniurias, tyrannides, rapinas præ cæteris secuti sunt, in luporum, accipitrum, miluorúmque genera migrare par est, neque aliò transire dicendum est: Eos porrò qui ciuilem popularémque virtutem, quam temperantiam & iustitiam nominant, ex consuetudine & exercitatione acquisitam absque philosophia mẽtísque sagacitate exercuere: decens est hos in tale quoddam genus iterum ciuile ac mansuetũ demigrare quodammodo, apum, vesparum aut formicarum, deinceps in idem rursus genus humanum, modestósque ex illis homines fieri congruum est. Sed in deorum genus nulli fas est peruenire, nisi illis qui discendi cupiditate flagrantes philosophati sunt, & puri omnino ex hac vita migrarunt. Discendi cupiditate flagrãtem vocat philosophum, veluti curiosum & scrutatorem naturæ eorum quæ sunt in rerum narura. [*infelix.*] misera, calamitosa. [*labore*] & castigationibus post longum diuturnúmque tempus. *vt animus purgatus emergat.* scilicet fantasticus. *exorta enim.* quia à principio in sub-
pag. 17. stantiam & vitam accedit anima fantastica. *cum*
τοῖς χεί- *peioribus.* cum materialibus, crassis, & carnalibus.
ροσι. *ac melioribus.* vt intelligẽdi vi præditis, & à ma-
teria

teria ſeiunctis. *quam mutuatur.* videlicet phantaſticam animam.[*è globis cæleſtibus.*]Hoc in loco globi cæleſtes omnino cernuntur & ratione intelliguntur ab omni prima ſphæra aſtris carente vſque ad lunarem. *deſcendens.* rationalis & intellectualis animæ potentia. *corporeo mundo.* eo, inquit, mundo qui continetur à lunari circulo ad terram vſque profluente, profligato & interitui obnoxio. *ſibi conciliet.* ſecum imaginariam animæ potentiam. *vix enim.* raro enim iſtud euenit vt ſe inuicem dimittant ac deſerant.*ſed fieri poßit.* aliquoties tamencontingere ſolet vt iſtud fiat. *minimè parentem.* nempe ſpiritum fantaſticū. *haud quippe fas eſt.*non enim decorum eſt homini illas reſpuere: In primis compertæ & cognitæ ſunt huiuſmodi expiationes. Expiationes porrò ſiue ceremonias dicit myſtica, arcana & ſacra dogmata. *turpis.* pudore oppreſſus, iniuſtus. *reditus.* illis animis rationis compotibus. *alienum.* hoc eſt animæ partem quæ in fantaſia & imaginatione conſideratur.*deſuper.*è globis cæleſtibus, vt ſupra dixit. *& iſtud.* Iſtud quidem, inquit, nempe illam animæ partem, quæ intelligentiæ & rationis eſt particeps, poſſe miſſum facere ſpiritum fantaſticum ingraueſcentem & immodico pondere ad inferiora loca tendentem, eámque materiali habitu ac mouente affectu liberatam aſcēdere ad ſublimiora domicilia, Dei munus fuerit, abditis & ſilentio prætermittendis rarionibus, ceremoniæ̇que eandem ſubleuantis ac erigentis, hoc eſt myſticæ diuiniorίſque diſciplinæ ipſam moderātis ac refrænantis: Niſi iſtud

pag.10.a. & b. ἀπὸ τῶν σφαιρῶν

pag. 18. ἐπάνοδος.

p.10.b.

perpaucis contingat animis, ſed vix vnicuipiam & alteri: verumtamen de eius aſcenſu conqueritur. Turpem enim ac fœdatã eam dicit, vt quæ iniuſta apparet, eò quòd alienum non reddiderit vnde emendicauerat. *animo.* rationali. *adiumento ſit.* eum ſua ſponte comitetur. *trahat.* inuitũ ac immorigerum ſpiritum fantaſticum. *trahatur ab eo.* inuitus. *improbitate.* à materiæ vehementi affectu. *qui indulſerit.* conceſſerit. *& iſtud eſt.* Nos quippe adhortantur oracula Chaldaica vt identidem ſurſum extendamus mentémque eleuemus ad Deum, ne ipſa prona ſe recipiat deorſum in mundum terræ propinquiorem, vbi nihil fidum ac ſtabile eſt, verùm omnia futilia, vana & fallacia. Sed conſiderare fas eſt qua ratione obſcurum, atrum, ac nigricantem vocauerit mundum hunc, quem vndecumque calignoſum dixit: nec verò ſolum ipſum Orcum nominat: Nam Orcum ceu Tartarum vario modo vocant Chaldæi: Deum enim eum exiſtimant, & extremæ terræque adiacẽtis hæreditatis, quæ ei ſorte contigit, principem. Interdum verò mundum qui in concauo lunæ cõtinetur, quem omni ex parte nebuloſum aſſerunt, & hunc infernum vocitant. Interdum autem ipſam lunarem ſphæram, quam conterminam & confinem ſtatuunt mundi ætherij & in materia luxuriãtis. Materiam porrò profunditatem dicunt, quam in loco ſub Luna ſito determinant. *territant.* perterrefaciunt ſacra Chaldæorum oracula. *rationis capax.* Animam dicit quæ vitam & ſubſtantiam à Deo conſecuta eſt. *infidus.* inconſtans & inſtabilis.

pag.10.b. δεδίττεται.
ibid.
pag.10.a. ἄπιστος.

bilis. *ſpectris & imaginibus geſtiens*. ex idolis voluptatem percipiens, vbi dij gentium habitant, & verſantur dęmones in materiæ illuuiem procliuiores: & hunc ſpiritum fantaſticum pinguem, craſſum & obeſum dicit. *vita ſtolida*. ceu attonita. *ſimulachro verò*. ſimulachrum hoc in loco fantaſiam dicit, quæ animalis ſpiritus ac ſubtilis cùm ſit, nihilominus ob electionis & conſilij prauitatem, aliquoties hãc habet craſſitiem & obeſitatem, aliquoties illam, quam vocant quandam ſpiritus conſpirationem: & tunc profectò ipſa efficitur idolum, id eſt, compar & ſimilis idolicis ac vmbroſis iſtis dæmonibus. *ima regio*. quam hactenus mundum caliginoſum & tenebroſum dixit. *ſimile quippè*. *Ibid.*
Quia enim ſpiritus fantaſticus cùm referre animi imaginem debuerit, & eſſe eiuſdem ſimulachrum, euaſit potius ob deprauationem in idolum ſimile materialibus dæmonibus, ac meritò horum ſodalitio familiaritatéque oblectatur. *quòd ſi vnum*. Si verò mens ruat ac delabatur cũ fantaſia, & fiat vna quædam ex ambobus. *mens etiam*. mens fortaſſis ad idolorum naturam propius accedens & obeſior, non repudiauerit huiuſmodi oblectationem. *malorum hoc extremum eſt*. Non ſentire, inquit, præſens malum, ſed eo veluti commodo ac facili delectari, malorum omnium fuerit maximum. Nam talibus gratulari, & ea non ſentire, eorum eſt qui neque emergunt ex tenebris, neque emendationẽ perquirere volunt. Scirrhum porrò in exemplum *σκίῤῥος.*
adducit. Eſt enim ſcirrhus illuuies fœda &

abstersu difficilis. videtur autem hoc dictum permultis obscurum, propterea quod breuitate concisa vtens Synesius, tale exemplum non dilatauit, sed contexuit & accommodauit proposito. Apertius autem fuisset, si ita dixisset: Quòd quemadmodum scirrhus interiores subiecti cuiusdam corporis partes subiens, ablutu atque purgatu difficilis & indelebilis redditur, sic magnus ille & inhærescens affectus mentem in profundum abyssum, vt ita loquar, demergens, eámq; detinens, & veluti crassiorem reddens, occultat ac tegit ob suæ ipsius voluptatis consensum, approbationem ac terram, neque permittit recordationem accipere salutis & incolumitatis liberationísque cogitationem ab illa vehementi commotione. Veruntamen inuenitur remedium sublimiori meditationi connexum & salutare pœnitentia: Pœnitentia enim consiliíque mutatio hominis est grauiter & iniquo animo ferentis, ac toto corpore perhorrescentis occupantem se improbitatem. Nam vitium odio prosequi à voluntate liberóque arbitrio principium obtinet: voluntas enim omnium dictorum factorúmque radix est ac fundamentum: & ad eam porrigunt atque extendunt causas & primordia. Nisi enim concurrat voluntas, exanimis & irrita manet omnis doctrina & disciplina, atque imperfecta. Et enim si doctor doceat, nolit autem discipuli voluntas, manca & mutila fit disciplina. Et eam ob causam perutilis est vita tristitia & acerbitate temperata. *& ob id.* * Proinde reperitur medicina

Pœnitentiæ vis.

pag. 11. *a.*
καὶ διὰ τοῦτο.
lege χρῶν.

dicina ac rerum ſublimium, & à vulgari ſenſu remotiſſimarum indagatrix ac ſalutaris pœnitentia, hoc eſt, voluntatis conſiliíque mutatio, & facti damnatio. *huic enim.* id eſt, ad ea pãdunt & explicãt manus, facta & dicta, tanquã ad cauſas & principia. *ignaua eſt.* inualida. *mutila.* imperfecta & manca. *fœdere.* tuæ voluntatis, tui conſenſus. *rerum temperies.* iucunda triſtibus tẽperari. *temerario gaudio.* abſurdo. *gaudio.* fatua voluptate. *vltra meritum.* quæ dicuntur à multis, vltra id quod decorum eſt. *calamitates.* Quemadmodum complures aliæ voces in alijs quibuſdam ſignificationibus prius elapſiſque temporibus acceptæ, aliter vſurpatæ ſunt apud ſubſequentes minores: Ita etiam hæc vox συμφορὰ, calamitas, caſus, media cùm fuerit dictio prius, vſurpatur etiam in eo quod commodum & conducibile eſt, vt, *Ob id quod in ſuis caſibus geſtiens lætatur, ſerpit lachryma ex oculis.* In malam partem ſolum apud poſteros vſurpatur, & obiurgatur ſuprà quàm par ſit, & præter meritum. Nam vt verum fatear, calamitates non malorum cauſæ ſunt, ſed adhortationis & prudentiæ: contrà, quæ vulgò ſecundæ fortunæ iactantur, ſunt potius malorum cauſæ. *conferunt.* cooperantur. *ad affectum abrogandum.* magnam & inhærentem animi commotionem. *prima prouidentia.* legitur in alio codice, *ſuperna prouidentia.* Primam atque ſupremam prouidentiam vocat Dei mundi opificis iuſtam dirigendi methodum ac diſpẽſationem, eam ab alijs præclarè diſtinguens. Nam Græci ſolem, lunam,

pag. 11. b. ſυνθήματος. *p. 19.*

ibid.

Varietas lectionis.

ſtelláſque animata exiſtimantes, è ſuo domicilio ipſa etiam prouidere dixerunt rebus terrenis. *earum gratia.* calamitatum. *incautis.* intelligentiæ expertibus ac deſipientibus. *vulgares felicitates.* Cùm enim internecionem ac perniciem nobis concilient, in fraudem complures illecti eas eſſe proſperas fortunas ſpargunt in vulgus. *inſidias.* doloſas excubias & laqueos aduerſus humanos animos. *inferorum præſidibus.* A dæmonibus qui ſunt inſpectores ac præfecti. *in-*
pa. 11. *b.* *greſſo.* ego verò dico, videlicet. *Suauitas.* voluptas
τὸ τῇδε ἡ- & ſubdola materiæ fraudatio. Quòd autem di-
δύ. *p.* 20. cit, tale eſt. Neceſſitate, ait, exigente, animam mundi naturæ inſeruire, è ſublimi deſcendit tanquam mercede facta conductio, vt ad definitum tempus ſeruiens emolumentum accipiat veluti præmium quoddam, & aſcendat vnde venit. Quæcunque generationem & incrementum habent, animam & vitam deſiderant. Et illud eſt animæ obſequium ac miniſterium, vt ſubſeruiat generationi & origini rerum quæ in mundo continentur, quouſque illi capaci vniuſcuiuſque corpori vis & facultas adſit geſtandi animam, neque eam fatiget ſenectus aut quæuis tabes & iactura terrigena quales in vita oberrant verſatiles multis modis. Quæ porrò anima vt plurimùm materialibus ac vehementius inhærentius affectibus voluptatibúſque in errorem & fallaciam deducta eſt, & quaſi inebriata imprudens fallitur, pro veritate mendacium, & vmbram pro ſubſtan-
ibid. tia & re ipſa amplectens. *paupercula ſiquidem*

& indo-

& indotata. mercede conducta. *primam vitam*. Primam vitam, inquit, eam distinguens à secunda & tertia, quàm dicunt Græci fieri propter metempsychosin, seu in alia subinde. atque alia corpora migrationem. *seruitutem induit*. quia hic ordinem & locum mancipij pecunia empti accipit loco mercenarij. *Adrastiæ*. fati, sortis, fatalis necessitatis. *illusa*. in errorem à voluptate inducta. *à materiæ donis*. quæcunque deliniunt, oblectant ac demulcent visum, gustum, auditum, olfactum & tactum, ea materiæ dona nũcupat. *donis*. voluptatum in naturæ cohærentiæ. *inseruire*. quasi ex scripto facta couentione & conspiratione. *fortunæ & externa bona*. quæ sunt notha & illegitima. *consentire*. cùm scriptis trãsigere. *ea porrò*. Adrastia seu Nemesis, seu vindicta diuina verborũ superborum factorúmque petulantium vltrix: ipsa natura. *occultam*. arcanam, nec linguæ ministerio adminiculóque proferendam. *statuimus*. Nemo his de rebus exactè sentire ac iudicare potest, nisi summo affectu eis inhæreat, ac prius experientiam quãdam sumpserit, periculúmque fecerit: nouerint potius ij qui mulierum & puerorum amore detinentur. Nam ijsdem aliquando priuati, vel si vltronei & sua sponte eos deseruerint, infinitos angores & cruciatus molestiásque sustinent, animam, vt ita loquar, assiduè dissecantes, diu noctúque, quas materiales pœnas nominat. Ipsæ enim effingunt, & oculis subijciunt rei, qua priuati sunt, idolum & si-

pag. 12. a. ἀδραστείας

ibid.

mulachrum, frequentérque memoriæ desiderantis admouent,& veluti canes agrestes, aliunde aliæ trahunt acerbè & circunueniunt : multos porrò ad mortem stimularunt, non valẽtes huiusmodi affectus constanti & æquo animo perferre. *retinet.* ob id siquidem Adrastia postulat. *irritum facere.* manu depellere, artificiosè prosternere, supplantare. *pœnæ namque materiales.* affectibus obnoxiæ, vindices ac seueræ cogitationes. *materiales.* animum vexantes. *tum certè.* nonnulli aiunt inter se differre necessitatem, adrastiam, fatum, & naturam, quidam verò vnum & idem significare inde asserunt: Etenim quod quis non potest efficere, istud Adrastia & necessitas fuerit: fatum verò est quòd per seriem arctæ societatis atque naturalis coniunctionis eorum quæ sunt in rerum natura, res terrenas gubernat. Et in fati potestate terrestria aiunt posita esse, quatenus in corpore naturaliter operantur. Sed sub prouidẽtia, quatenus intelligentia & ratione, hoc est quando immediatè à Deo beneficia homines accipiunt. *sine fatali necessitate mouentur.* vel, fato non imperante. *ipsius.* fati, Adrastiæ, nemeseos, & naturæ. *atque hæ profectò sunt, quæ ærumnæ vocantur* Herculis. ab antiquioribus: Inde pericula cum allusione nominantur. *sustinuisse.* contingentia, mœsta perferre. *diuina verba.* Quæ videntur quidem fabulosa, sed mystica ac diuiniora sunt. Nam fabulæ vidẽtur narrare Eurystheum Herculi iniunxisse & imposuisse tales ærumnas, pericula & necessitates : At mystica arcanáque verba

pag.12.b. εἱμαρμένην. αὐτῆς. pa. 21.

verba altius meditando explicandóque ea quæ dicuntur in aliam transferunt significationem. *si quis alius*. Herculi compar. *constanter*. fortiter. *libertati animum adiecit, & eam aggrediatur*. inijciat, admoueat manum, & constanter decertet, vt fiat libertatis compos. *naturæ manus & vires*. hoc est, naturalis huius mũdi à natura gubernati. *tumultus*. debilis ac languidus insultus. *& opus est*. necessitas est. *despicit*. materia. *velut aliena*. velut reluctantia eius generositati. *doliis*. Homerus in ω Iliados his de rebus differit, verba faciens de Priamo filium Hectorem desiderante: his versibus, *ibidem.*

Dolia namque Iouis duo stant in limine, plena
Muneribus, quæ donat, in hoc mala sunt, bona in illo.
Iuppiter huic miscens largitur fulmine lætus,
Nunc mala dispensans ac tristia, nunc bona rursum.
At si cui ex diris infuderit, ille grauatur,
Et male suada fames agitat vexátque vagantem:
Nec Deus hunc nec mortales dignantur honore.

latenter. obductè, occultè. *partes esse duas*. Omnia enim materialia opera quæcunque sunt in hoc naturali mundo ex generatione & corruptione constituto bifariam diuiduntur. Nam quibusdam sorte adueniunt quæ bona & expetenda præclara sunt, quibusdam verò ex aduerso mala. Præterquam quòd bona rara, mala frequentia sunt. *& Iupiter ipsi*. Homero, in illa versuum Homericorum parte, vbi istud dicit. *Deus est materiæ princeps*. Quandoquidem dispensatorem fecit Iouem Homerus in illis versibus bonorum & malorum, quæ dolia contine-

bant. Iſtud porrò obſeruantiæ materialis eſt, velut imperantis fati ab altior: videtur materiæ principem ac moderatorem hunc facere. *duplicis doni fatalis.* gemini, velut è duobus dolijs emergentis. *in errore eſt.* qui adeſt animo. *poſt primum lapſum minimè recurrente.* verùm ſaginato & permanente in imis partibus iuxta verſutiam affectionis in materia tenacius inhærentis: ea ſiquidem materialis ac vehemens affectio eſt quæ prohibet recurrere in regionem ſupra hũc caducum mundum ſitam, vnde primum fecerat egreſſum. melius ſcribitur θεῶ à θεάομαι, quod commodius eſt quàm θέα, quanuis idem ſignificet. *verſatur.* vt dicetur. *dicebat oratio.* Ægyptia & ſacra. *quouſque incidat.* irruat. *tenebroſum.* omni ex parte vmbroſum. *vndique caliginoſum.* Quauis ex parte nebuloſum locum inquiunt Ægyptij & Chaldæi mundum ſublunari ſphæra comprehenſum, ex vtroque latere tenebricoſum. Aſſerunt autem locum in ipſo lunari circulo ſitum, partim obſcurum, partímque dilucidum, id eſt, dimidia parte ſplendentem, dimidia verò lucis expertem. Ipſa quippe luna talis eſt, ſemper habens dimidiam ſui ipſius partem ad ſolem cõuerſam & illuſtratam, alteram verò ſplendore lucis vacuam, facta proportione iuxta ipſius perpetuò mutantes conuerſiones, circuitus, & varios flexus. Sed locum ſupra lunam collocatum vſque ad ſupremam & omnia vndique amplectentem ſphæram, mundum dicunt omni ex parte lucidum, id eſt, hinc & illinc perpetuò & immortali lumine colluſtratum.

varietas lectionis.

pag. 13. a. ἐμπλι-πύετω.

locum.

locum. terræ proximum quoad animum. *comitatur*. spiritus fantasticus. *maximè oppositum*. Ait Plato in Phædro, eam esse Adrastiæ ceu numinis ineuitabilis legem: vt quæcunque anima Deum comitata aliquid verorum inspexerit, ea vsque ad alium circuitum sit indemnis: & si semper hoc facere queat, sit semper illæsa, si verò impotens assequendi non aspexerit, & casu aliquo vsa obliuione atque prauitate repleta grauetur, grauata porrò pennas confregerit & amiserit in terrámque deciderit: tunc prohibet lex hoc & illud: quære id quod deinceps sequitur. *oppositum venerit*. vsque ad lunarem globum: Quod enim ei opponitur, est vndique tenebrosus mundus, qui vsque ad hunc peruenit: sed oppositum dicit respectu circumlucentis & quauis ex parte fulgentis. *non in eminenti atque sublimi loco purgamentum ac sordes materiæ relinquet*. Materiæ purgamentum vocat, quod fantasia descendens è supernis circulis emendicauerit à naturalibus elementis ignis & aëris. Igitur neque istud, ait, relinquere fas est in loco prærupto & eminenti, nempe in mundo vndique obscuro & tenebricoso, sed sursum trahere oportet temperantiæ, continentiæ ac reliquarum virtutum auxilio, & ad æthereum reducere mũdum. Quandoquidem naturæ & idolo pars est in loco vndique fulgente. Idolum autem spiritum fantasticum nominat, veluti congenitum potentiæ animi, quę rationis est particeps: minor verò illa est. Quemadmodum enim simulachrum & imago

συνέπεται. pag. 21.

Dei quidem eſt mens, mentis verò anima rationalis: Sic anima rationis expers, hoc eſt, ſpiritus fantaſticus ſimulachrum & imago eſt animi ratiocinandi & intelligendi vi præditi. Ergo quemadmodum huius ſpiritus fantaſtici idolum natura eſt, id eſt, anima naturalis, & huius rurſum corpus, & iterum corporis materia: Proinde etiam proportionem quandam obtinet ſtudioſum ac familiarem, ait, fantaſia ad ea quę ſibi ex vtraque parte quadam communione & affinitate ſunt copulata, & ſecum ad eundem finem tendentia. Quocirca non ſolùm ab anima rationali ſurſum, verumetiam deorſum à naturalibus elementis, de quibus loquitur, deſcendens emendicauit, ignem dico & aërem. *purgamentum*. cum extenuatione ita loquitur. *pars eſt*. ſors. *is autem*. vndique luminoſus. *non enim ſolam*. Non enim ſolam ſpiritus fantaſtici naturam reducere in mundum ſupremum admonet propter congruam ac decentem purgationem: ſed etiam ſi quid è faſtigio ignis aut aquæ aſſumpſerit, quod certè materiæ purgamentum dixit, etiam iſtud vnà referendum cenſet. *imaginariam naturam*. fantaſticam. *terrenum*. Quod quidem ſupra oſtreorum vocabat inuolucrum, nũc terrenum dicit integumẽtum corpus. *diuinum corpus*. Spiritus fantaſticus, quod ſuprà corpus primum animæ dixit, nunc autem diuinum corpus iſtud vocat. *& in vnum tendunt*. in vnam naturam coaleſcunt. *quibus regio eſt finitima*. & potiſſimum, inquit, illa proportionem habuerint, quibus è finitimis & in propin-

ibidem.

pag. 13. b. καὶ εἰς ἕν.

propinquo eſt poſitio regionis & gradatim: Quemadmodum in propinquo eſt & ſeruato ordine iuxta cohærentiam ignis elementalis circulo & ętthereo corpori, neque diſiunguntur, ſicuti diſtat ab æthere terra, quæ quidem poſtrema & infima eſt eorum quæ ſunt in rerum natura, craſſior nimirum cùm ſit, & cæteris elementis inferior. *ignis.* elementalis. *quòd ſi præſtantiora.* Quòd ſi anima quanquam nobilior eſt corpore, tamen communionem corporis admiſerit, & cum eo peregerit propter intermediam imaginationem, ac diſtribuerit fæci elegantioris & immortalis naturæ, quantùm eſt particeps deterioris, etiam corpus receperit, niſi imaginationem coerceat, eíque ſit impedimento, & ipſam euellat à congenita inſitáque anima, ſed exhibeat ſeipſum morigerum eidémq; obſequens, vt reducatur ad diuiniorem ſublimiorémque conditionem. Quemadmodum enim anima fantaſtica vergens ad corporis vehementioris affectiones, craſſeſcit, ac redigitur in magis corpulentam conditionem: ſic etiam corpus vergens ad contemplationem imaginationis beneficio, gracileſcit extenuatúrque & æthereum efficitur, propter animam intelligẽdi vi præditam, deſcendens per elementorum ſummitatem ac faſtigium, quam vndique nebuloſam regionem dixit ſuprà. Dicit autem eum qui è terra peruenit vſque ad lunarem circulum, ex quatuor elementis compoſitum eſſe. Nam à globo lunari exorditur ſubſtantia & natura quæ motu orbiculari mouetur vſque *ibidem.*

ad ſupremam primámque ſphæram omnia complectentem, quam mundum vndique perlucidum aſſerit: Nam Græci antiquiores, ipſa etiam mortuorum corpora comburebant, haud ſecus atque ſi eadem cũ anima in ætherea regione collocarent. *quod ſi præſtantiora.* nobiliora excellentioráque illa ſunt quæ ſe ſubtrahunt declinántque à materialibus elementis, vtpote anima rationalis, & ſentiendi organa. *confert ad materiam.* vnà præſto eſt ad limũ & fæcem. *ad materiam*: lege, *cœnum*: animã & ſpiritũ fantaſticum in vitiorum cœno, lutóque inuolutum intelligit. *velut ſibi vendicatũ ab eo cui cõceſſum eſt.* à materia. *inferiora.* deteriora, vt ignis ac terra, & ea ex quibus corpus conflatũ eſt. *ſed morem gerentia.* Hæc ipſa vox eſt Platonica: Etenim ille deorum plauſtra εὐλώια freno ductilia, habenáſque audientia dicit, ideóque facilè iter ingredi. *ſequentia.* comitantia. *mediam naturam.* fantaſticam ceu imaginatiuam. *primæ naturæ.* animæ rationalis. *particulam.* ſortem. *ab elementis.* Ea quæ de Minerua fabuloſè diuulgata ſunt, ſapiẽtiores Græci ita allegoricè explicant, & Mineruam aiunt animam eſſe, Iouem verò aërem: filiam Iouis eſſe commemorant generatam ex ipſius capitis vertice, nimirum è ſumma arce cæli, necnon ſimplicem & incorpoream. Tritogenian dicunt à triplici eius generatione: propterea quòd ipſa deſcendens è regione ætherea aſſumit animi fortitudinem, concupiſcendi vim à luna: Luna enim ſua natura hũmida eſt ac diffluens: ea de cauſa libidinum impoſturæ propter

ἰλυῦ.

Quòd à Minerua, id eſt, à prudẽtia ea tria oriãtur, bene cogitare, bene dicere quæ ſis meditatus, demũque bene perſequi cogitata dictáque.

propter ipſam contingunt. Deinceps ordine ſeruato ab elementis ſibi vendicat corporis cõpoſitionem. Iſta igitur Græci aſſerunt: alia vero Ægyptij atque Chaldæi. Sed quoniam eos ita diſſidentes animaduertit Syneſius, ait fidem illis partim detrahendam, & partim adhibendam eſſe. *corporea ſubſtantia.* vide, rurſus ſpiritum fantaſticum corpoream ſubſtantiam dicit, quod ſupra corpus primum animæ, & diuinum corpus dixit, ac denuo corpus integrum & immortale. *ſubſtantia.* nimirum ſpiritus fantaſticus. *fieri omnino nequit.* perarduum eſt pro dignitate illius. *ſimul eleuetur.* quin ſimul aſcendat. *globiſque cœleſtibus.* de quibus prius deſcẽderat. *extremæ.* volens etiam de interpoſitis tractibus loqui, reiterat quæ prius dicta ſunt, & refutat. Ait igitur extremas duas ſedes, nimirum huius vniuerſi apices eſſe, vnam inferiorem vndique caliginoſam, & alteram ſuperiorem vndique luminoſam: illam infelicem, hanc vero beatam. Sed quoniam immediatè oppoſita ſimul copulari non poſſunt. Aſſerit hîc etiam in medio harum duarum ſedium eſſe complures alios tractus inter ſe diſſidentes, quos ex altera parte luminoſos nominat, ex altera obſcuros, videlicet participes ſedium hinc & illinc collocatarum, & infra regionem vndique fulgentem. Verbi cauſa, quemadmodum intelligentia eſt in medio mentis & animæ, in medio verò animæ & fantaſiæ opinio: At in medio fantaſiæ ſeu imaginationis & corporis ſenſus eſt. Et iſta ſunt media mutuò inter ſe penetran-

pag. 14. a. σωματικήν.

tia & experrecta à corpore ad mentem vſque, & participia ſunt quodammodo omnia vicinorum ex vtroque latere. Quemadmodum aër vtrinq; duas habẽs extremitates, & ſedes, quoad ſupremum tractum elementari igni adiacẽtem calidus eſt, ſed quoad inferiorem, iuxta aquam, humidus. *poſtrema*. opportuna. *regiones*. alios tractus & locos. *in mundi latitudine*. circa lunarem globum. *viuit animus*. opinor adhuc in corpore degens. *cum hoc ſpiritu*. fantaſtico. *formas & mores*. Quod quidem iam contigiſſe videtur in purè, inculpatè & ſecundum virtutem & intelligentiam viuentibus hominibus: illi quippe etſi in terra ſunt, mentem poſſident in cœlo vagantem. *ad propriam generoſitatem*. velut ad propriam ac domeſticam ſortem, omni ex parte luminoſam. *delapſus*. in hæreditatem inferiorem vndique tenebroſam. *inordinatus efficitur*. difluit ac dilatatur in materiæ varietatem. *in medio verò cùm ſit*. nimirum in media ſorte & regione ex altera parte obſcura & ex altera luminoſa. *in luminoſam*. felicis & inauſpicatæ ſortis. *illa verò aſſequitur*. quæ media & interpoſita ſunt. *diſcernere potueris*. videlicet affirmaueris ipſam animam miram eſſe quandam naturam, quaſi dicat, vſq; adeo præſtãtioris eſt particeps, vt etiam eatenus exſuperet id quod in materia deterius eſt. *in quolibet ordine*. medij interiecti. *aut prorſus*. abſoluté. *diuinum eſt*. perfectè, integrè. *quod autem eſt fallax*. fantaſticũ illud, ſeu vis animi quæ cito imaginatur & apprehendit, fallax & mendax, in vaticinijs & oraculis, nũquam

quieſcit

quiescit, id est, sortem non habet, neque locum: quocirca quiete & otio caret, quod absurdum est, affectu ignobili necnon sordida ambitione vexatum: & eorum est qui in materia voluuntur & euoluuntur. Hinc Aristophanes poëta comicus ait in fabula Nubiũ, sub Phidippodæ somniorum coniectoris persona dicentis, *Abige equum domum eiiciens*, quasi dicat, equum in tuas ædes deducito, vbi ipsum ad volutandũ disposueris. *quod autem fallax est*. vt genus dæmonum vaga errantiáque reddens vaticinia. *nunquam quiescit.* Non habens sortem neque locum. *inuolutis in materia rebus indulgens*. In materia terraque se voluntates dæmonas, terræ belluas vocant Chaldæi: sed in vita nostra affectibus plena, aiunt huiusmodi feras domicilij sedem habituras: Etenim naturæ & substantiæ vim sibi vendicant in affectibus talia dæmoniorum genera, & subsellium habent ordinémque materialem. Idcirco affectibus indulgentes ad talia dæmonum genera se conferũt, ac veluti ijsdem conglutinantur, simile ad simile pertrahentes, mouendi atque concitandi vi præditi propter affectus. *inuolutis in materia rebus indulgens*. genus dæmoniorum intelligit se in luto & materiæ sordibus voluntãtium. *ita enim*. propter pœnitentiam. *ita subrepit & induit subterraneũ deum.* subterraneam dicit intermediam felicis & infelicis sortis naturam, quam etiam inauspicatam paulò ante dixerat. Ait igitur infelicem & miseram illam naturam ita subrepere ac se insinuare in Dei & antiquioris dæmonis fauorem,

Iuxta illud D. Pauli, diabolus tãquam leo rugiẽs circuit, quærens quem deuoret, &c.

Ibid.

Dele è cõtextu latino, officiosè colit.

qui ſibi vicinus ſit: ſed ſublimiora euolant & apprehendunt in ſuperiore hereditate inſtructam & apparatam puræ ac diuiniori naturæ regionem. *naturæ capaciori.* Iſta quidem Platonis opinioni proxima ſunt, nec minus Plotini. Ait enim Plotinus, Omnes mortales à principio prius ſenſu quàm mente & intelligentia vſos fuiſſe, & cum rebus ſub ſenſum cadentibus prius commercium habuiſſe, prima & extrema eadem reputauiſſe, & quod in ipſis moleſtum & ſuaue eſſet, illud quidem malum, hoc verò bonum ſuſpicantes, ſufficere opinati ſunt, ſi hoc conſectarentur, illud autem euitarent & auerterent: Et hæc induſtria eis legitima ſolemniſq; fuit, imitatis auibus grauibus & oneroſis, quæ multa accipientes è terra, & pondere oppreſſæ, in altum euolare nequeunt. Qui porrò aliquantum pendent ab inferioribus ac terrenis rèbus, ſeipſos erigentes à ſuauitate ac delitijs ad id quod melius & præſtantius eſt in anima, cum ſaltem minimè poſſunt cernere quod ſupernum ac cæleſte eſt, rurſum delapſi ſunt ad actiones vnà cum virtutis nomine. Tertium verò genus eſt hominum diuiniorũ, quod potentia meliori & oculorũ acumine cognouit cœleſtem ſplendorem, & illuc attollitur, veluti ſupra nubes eius quæ hîc eſt caliginis, illícque permanet, omnia quæ hîc in terris ſunt deſpiciens, oblectatione delinitum, & voluptatem non mediocrem percipiens ex amœnitate genuini ac domeſtici loci, tanquam ex vehementi & aſſiduo quodam errore in patriam bonis ac ſinceris

legibus

gibus temperatam homo perueniens. *constitutionem & situm*. conditionem ipsius qualis sit coniectura cõsequeremur. *cui spiritus fantasticus*. pura & sincera imaginatio rerũm futurarum nonnullas cernit. *is homo pollicitationem*. habuerit à coniectura. *ad animi habitum*. Quantum cõiectari licet ex animi cultu & moribus. *melioris* *ibid.*
sortis. propterea quod felici parte ac sorte clauditur. *ac potissimum*. Maximè, inquit, venamur & assequimur à spectris, quæ quidem in somnijs promunt & obijciũt fantasticum spiritum, videlicet circa quæ versatur, & spectamus in quali statu & conditione est, vt supra dixit, quia oracula consentiunt in ipsius imaginationibus inter dormiendum apparentibus, illic animi pacificationem institutionémque æquiparantia. Conijcimus porrò citra aliquam elusionem ac imposturam his de rebus, ait, quod minimè extrinsecus ab altero quodam incitatur, vt à quadam corporis imbecillitate, aut acerba calamitate. Quemadmodum enim illi qui sitim explere cupiũt in quiete sibi videntur circum fluuios fontésque aquarum habitare, sic etiam rigentes prope ignem & calida balnea, & qui aluum humidiorẽ, in palustribus, lutosis & humidis locis. Consimili modo qui puero aut coniuge morte extinctis orbati sunt in somnijs ipsos videre sibi videntur, propter ambages & petulantiam cogitationis imaginationem in huiusmodi rebus commorari persuadentis. *ab alio ex-* *pag.15. a.*
trinsecus minimè turbatur. vtpote quando propter *ὑφ᾽ ἑτέ-*
aliquam occurrentem & insuper aduenientem *ρου. p.25.*

animi commotionem non fatigatur vis animi imaginatrix, verbi gratia ob libidinoſum amorem, aut præ metu, aut febri, vel alia quauis imbecillitate & infirmitate naturæ. Nam huiuſmodi homines à ſomno excitati in errorem inducuntur falluntúrque, etiam dormientes. Siquidem amator ob exiguam quandam ſimilitudinem, videtur cernere vultum illius, cuius amore captus eſt: Ac timidus ſimiliter opinatur ſe curſu concitato impelli ab hoſtibus: ſimili ratione febricitantes in conturbatione & anguſtia commoti aſpectus exiſtimant animalia picta in parietibus videre. Tales igitur commotiones nunc prohibet, neque eas in imaginationis purum ac ſincerum iudicium admittit. *animalis ſpiritus*. fantaſticus ſeu imaginatiuus. *ſuggerente philoſophia*. philoſophica, continenti & ſobria viuendi ratione. *iuxta facultatem conuenienti ſpeculatione intelligentem*. ſcopum pertingente, & congruente. *procinctum*. progreſſum. *pro viribus*. quantum humanæ naturæ vires efficere poſſunt. *præueniendo*. palmam illis præripiendo & præcidendo. *tolerare non poſſe*. inuictum eſſe. *deterius*. ſcilicet corpus. *quatenus*. innuit ſomnum mediocrem, aquam, & panem anguſtum. *mentis conceptus*. contrectatio, comprehenſio, vt contemplatio. *quæ conſpirant*. inſtigantur. *aduerſus ſpiritum*. aduerſus id quod maximè deſtruit & euertit imaginationem. *diuinum ſpiritum*. ſpiritum Dei viuentis. *veluti quando*. quemadmodum enim reſoluta quædam & extenuata, producuntur &

extenduntur, & ampliorem locum occupant, vt ſolida ea corpora quæ in vaporem facto nidore ac ſuffitu incenſa ſunt, ſic certè contingit contrarijs in vnum adductis & craſſioribus effectis. Cernuntur enim & contrahuntur in minutiorem pauciorémque aceruum, ac tenent minorem locum quàm prius, veluti etiam aër craſſior & ſpiſſior in aquam vertitur, & in cumulum pauciorem contractiorémq; adducitur: Et rurſus aqua frigore concreta in glaciem. Sic igitur ait, ſpiritus fantaſticus à mundi conditore formatus alioqui ſufficiens & idoneus ad implendos cerebri ſinus, ſi à contingente quadam pinguedine contrahatur in minorem aceruum, dicuntur eſſe quædam partes ſinuum cerebri vacuæ. Deinde quoniam hoc non eſt in naturæ viribus, vt aliquid ſit vacuum & inane in his quæ reuera ſuperſunt & exiſtunt, ſequitur neceſſario vt nequam aliquis ſpiritus ingrediatur in eiuſmodi loca inania & euacuata, à quo neceſſarium eſt animal vna cum imaginatione incōmodo affici *in arctum ſimul redigitur*. contrahitur in minorem aceruum. *in ipſis rebus*. dogma iſtud philoſophicum eſt, ſcilicet, nihil inane & vacuum eſſe. *plena ſint*. completa. *pœna*. condemnatio, mulcta. *hoc verò*. quod vocauit intellectuale propoſitum & inſtitutum. *pietatis*. integritas & perfectio diuinæ prouidentiæ. *ſanè quidem nos*. hoc in loco facta repetitione eorum quæ dicta ſunt, ſcopum libri exhibet: quoniam de ſomniorum diuinatione quidem conſtituimus verba facere, nihilominus neceſſitate com-

Hoc genus dæmoniorum nō eijcitur, niſi in ieiunio & oratione, ait Chriſtus. Matth. 17.

pag. 15. b.

πλήρεις.

pag. 26.

pulſi copioſum quendam ſermonem protraximus de ſpiritu fantaſtico, tanquam dicatur eſſe dux & efficax rei. *ea de cauſa.* ſuprà eum. *curioſè tractauimus*. accuratiùs & copioſiùs perſecuti ſumus. *ex hac porro diſputatione*. explicatione. *hîc.* in hac arte diuinandi. *minus eluceſcit*. enunciatum eſt. *ſed ſpiritus.* fantaſtici. *pietatis.* diuinæ
pag.16.a. ἔννοιαι. gubernationis. *Vt ipſe ſit in nobis fatidicus.* ſpiritus ille fantaſticus & imaginandi vi præditus. *talis ſpiritus ergo*. propter diuinandi artificium. *menſam turgidam*, diuinam & ſobriam non turgidam & opiparam, ab exuberante, luxurioſa, delicata, & in qua genio indulgere liceat. *omnis faſtus expertem*. frugalem, ſimplicem & abſtinentem. *Pythio tripode.* In Pythijs, Pythicum oraculum. *multum abeſt.* eum Pythicum tripodem relinquit. *ille verò.* qui nimirum poſthabito mẽſæ lautæ & opiparæ faſtu luxúque, frugali vtitur cibo potúque temperato ac ſobrio, & crapulam & vinolentiam tanquam in mari ſcopulum euitat. *& quod*. efficitur propter appetitum diuinationis. *Dei amore detineantur*. hac in re. *neque enim propter id*. haud quippe propter hanc animæ cum Deo familiaritatem, minor leuiórque poſthac fuerit & contemptu digna commoditas, quæ in illa rerum futurarum ſcientia conſiſtit. Sed tantiſperdum homo in vita permanet, eadem indiget. *præſtantiorum.* Quemadmodum, cum luna à ſole illuminatur, exterior vultus & aſpectus ipſius ad nos cõuerſus lumen obtinet, neque cum eo confunditur aut miſcetur propter longitudinem diſtantiæ: quando verò incipit

(Margin notes: beside "tat. & quod": καὶ τό. pa. 27. — beside "eadem indiget": pag.16.b. τῶν κρειττόνων.)

cipit ad eum conuerti, in interioribus partibus iam illustratur, clariórque redditur, miscẽs obscurum & vix apparens lumen suum cum amplissimo lumine solis, propter vicinitatem quam habet cum eodem. Sic etiam animus noster radios accipit ab intelligentia dominante, vel vt verius loquar à Deo, verùm superficie tenus, quando conuertitur ad ea quæ sub sensum cadunt. Sed in penitissimis intimísque partibus, quando subinde resipiscens ad eum propius accedit. Tunc ergo, inquit, non est penitus auersus ab animante, sed attrahitur etiam in ea quæ sensibus sunt obnoxia, & è specula eadem iam purius intuetur, propterea quòd minimè permiscetur ipsis, neque labefactatur ab ipsis. *inferiora.* opera quæ sunt in mundo. *quàm cum ipsis versans.* quando ad materiam propius accedit. *quandiu manet.* animus à materia quietus & immobilis. *simulachra.* imagines & figuras. *descendentem.* Quemadmodum lumen solis loca spurca & sordibus obsita perlustrans haud contaminatur. *præstantibus.* scilicet mens. *deterioris.* corporis. *ij qui collectis sarcinis.* tanquã diuersa copiosáque viatica accipientes. *ad Apollinis Pythii.* ad Delphicum oraculum. *Ammonii.* Ammona vocant Iouem. Est autem Ammonis templum situm inter Nilum & Libyam, respectu Nili magis occidentale, sed Libyæ & Cyrenes, magis orientale. At respectu maris Ægyptij magis australe: hinc distat 1500. stadijs *dormire.* Totum corpus reclinare quietis gratia Homerus in Odyss. de Penelope loquitur, cũ iam non deberet

amplius illa dormire: Synesius tamẽ eos adhortatur qui in dulcem somnũ lumina declinaturi sunt, vt ita Deum opt. max. precentur. *irrigata*.

pag,28. ἡ δ' ὑδρηναμένη.

In 17. Odyss. lib. ea dicit Homerus de Penelope.

Ascendit thalamos, puras circundata vestes,
Membráque lota, deis centum taurilia vouit,
Et pecudes aræ laturam, sacra deorum,
Si dignas peteret Deus hoc pro crimine pœnas.

Et paulò pòst rursum ait:

Nunc ego Telemache ascendam cœnacula summa,
Alta theatra domus, languenti lumina somno
Concessura thoro lecti, qui plenus amaro
Luctu & tristitia nutrit suspiria mæsta,
Humidus & lacrymis nostris fletúque rigatur
Aßiduo. & reliqua.

[*irrigata*. abluta beneficio aquæ Penelope. *quemadmodum fortaßis*. veluti Penelopen optantem introduxit Homerus in suis versibus. *præsto adest*. Attende quo pacto hîc etiam Synesius Chaldęorum opinionem sequitur. Illi enim dæmonum discrimina esse dicunt. Nonnullos quidem æthereos tradunt, alios aërios, hos terræ propinquiores, illos verò aqueos, alios denique subterraneos. Hos igitur qui circum terram & aquam voluuntur, mendaces natura dicunt esse, nimirum procul à diuina intelligentia remotos, & obscura materia repletos. Alios verò æthereos ac cælestes, veraces, vtpote à terra longè seiunctos, sed esse in propinquo diuinæ intelligentiæ. *Deus absens*. Ætherei ordinis. *ceremoniæ*. Ceremonias propriè vocant ea quæ mysticè tradita sunt verbis & operibus, & apud Pythicum oraculum, & E-

pag.17.*a*. παρεστιν.

leuſinam, & alia loca ad vaticinandum idonea. Nunc autem abuſiuè ceremoniam dicit diuinationem, quæ fit inter ſomniandum. *antiſtites*. rerum ſacrarum doctores. *quædam ceremoniæ*. ſcribitur etiam, *quædam vrbes*. [*à maximo cenſu*. Quemadmodum Athenienſes iuxta æſtimationem facultatum vniuſcuiuſque ciuium opulentorum, ampliorem ſubſtantiam poſſidentes deligebant, vt triremibus præeſſent: ita inquit, etiam vrbes antiſtites eligebant ditiores & honoratiores. Illi enim poterant vtilia ad hanc artem vndecunque adducere. Hanc igitur diuinandi rationem talibus rebus vtentem abhorret ac deteſtatur. *atque opus eſt*. neceſſitas exigit. *Cretenſem*. è Creta aduectam. *in occidente*. ex Homeri Odyſſea iſtud depromptum eſt. vocat enim ſolem hyperionem Homerus, præpoſitione ὑπὲρ, *ſuper*, declarante id quod ſupernum eſt, & à verbo ἰέναι, quod ire ſignificat: hoc eſt qui ſupra nos terrámque vagatur & incedit. *hyperionis*. ſolis, *hæc*. quæ dicuntur de ortu & occaſu ſolis. *artificioſè exquirunt*. ſcribitur etiam τεχνιτευόντων, qui ſolerti ingenio moliuntur. *ex ſuis rebus partis*. ex ſubſtantia & facultatibus quæ ſibi adſunt. *cernit quidem*. Cùm in quatuor vectigalium genera diſtincta eſſet Athenienſium Reſpublica & ciuilis adminiſtratio: vnum quidem nuncupabant eorum qui cenſum quingentorum medimnorum poſſidebant: alterum equitum, tertium zeugitarum, quartum operariorum mercede conductorum. Hic porrò opificum & mercenariorum infimus

ordo erat valde inops, mercedis cauſa diurnam ſemper operam præſtans. Ea quidem certè tributa & cenſus dicebant Athenienſes. *traducat vitam ſobriam*. ita vt cũ difficultate viuat. *remex*. ope nauigioli ſeu ſcaphę. *operarius*. mercenarius. *& qui ſoluit colonarium*. Mos erat Athenienſibus accipere ſingulis annis duodecim drachmas ab externis hoſpitibus, qui Athenas habitandi gratia ſe conferebant, & id vocabatur vectigal incolatus. *tributum*. Extraneorum qui proficiſcebãtur Athenas, vt illic ſedem domicilij collocarent. *Eteobutades*. Eteobutadæ progenies quædam erat antiqua, inſignis & ſplendida Athenis, à qua Mineruæ ſacerdotes eligebantur. Sed iuxta veram ac geminam ſignificationem explicatur quòd propriè ſit, id quod verum ac certum eſt: hoc eſt, qui reuera è Butæ generatione deducti erant. Cæterum Butam appellat oculatum Argum tragicus Æſchylus, quaſi bubulcum, vt moderatorem ac ſectatorem Ius Inachi filiæ. Tradit enim ipſam ita dixiſſe, *Perhorreſco multiplices habentem vultus intuita Butam*. [*popularis*. familiaris, ſocialis. *vbicunque præſto eſt*. Quandoquidem hîc quarundam hiſtoriarum mentionem fecit, paucis verbis operæpretium eſt eas prius explicare perſpicuitatis orationis gratia. Circa Antiochiã Syriæ eſt fons quidam nomine Caſtalia, in quo tradiderunt Apollinem ſic fata prædixiſſe: in meatu aquæ reddebat flatum, qui quidem aliàs aliam efficiebat aquæ commotionem, quam circunſpicientes vates futura prædicebant. vna

igitur

pag.17.b. προστωτος pag.29.

igitur hæc eſt hiſtoria. Altera verò de ſaxo Delphorum: Eſt autem iſtud prope Phocidis prouinciam magis auſtrale quàm mons Parnaſſus, trecentis ſtadijs, ſed magis ſeptentrionale quàm ſinus Corinthiacus, ſtadijs ferme ducentis. At illic templum erat iuxta ſaxoſum aliquem montem, & in eo fatidicus Apollinis tripus. Tertia porrò hiſtoria eſt de eo barathro terræque hiatu quem commemorat: ea ſic ſe habet: fuit quidam vir nomine Trophonius augurandi artificio inſtructus: ille inani gloria ductus in quandam ſpeluncam facto impetu ſe præcipitem immiſit, & in ea conditus è vita deceſſit: quæ profectò ſpelunca, vt aiunt, oracula reddebat eam ingredientibus, & de qualibet re quærentibus. Harum certè hiſtoriarum hoc in loco meminit Syneſius ad ampliorem laudem diuinationis quæ fit per inſomnia: dicẽs in illis vaticinandi locis opus eſſe maximis fatigationibus, moleſtijs ac ſumptibus. Sed hæc præſagiendi ratio citra laborem omnibus oracula reddit. *aquam minimè aſſumit*. Quia non opus eſt accolam eſſe cuiuſdam loci, aut habitare iuxta aquam fontis Caſtaliç, aut prope Delphorum ſaxum, vel in propinquo terræ Trophonij oraculi. *id etiam primum*. præſtãtius. *conuentione facta*. conſilium & intentionem habens videndi inſomnij. *ob naturam*. ad naturæ refocillationẽ. *haud ſufficiente*. lege, *ſufficientibus naturæ viribus*. cùm non valeat, eſſentia, facultas aut natura noſtra perpetuò vigilare. *rem expetendam*. nempe inſomniũ. *neceſſariæ*. ſomno. Somnum ait opus

pa. 18. a. ἐκ ἀρκούσης.

eſſe neceſſarium, necnon eſſentiæ & vitæ cauſam: ſed inſomnium expetendum etiam perfunctorium atq; ſuperuacaneum, vt incolumitatis cauſam. *& optimam viuendi rationem.* nimirum benè viuere diuinationis, quæ euenit inter dormiendum, cauſa. [*optabiles*. apertius erit ſi legas pro, optabiles, *æqui boníque conſulendum.*] *cuipiam*. actioni. *ad eam*. actionem. *iuuaberis moleſtè*. cùm videlicet impediaris. *neque enim eſt cuiuſlibet temporis*. Hactenus enim dixit quædam eſſe definita loca ad vaticinandum obnoxia & idonea, eáque pauca, & præfinitis temporibus opportunis oracula reddere. Ideo aſſerit moroſam ac difficilem eſſe, eas ob res, eiuſmodi rerum futurarum præſcientiam: adhæc acerbam propter eiuſdem inſtrumenta, quæ ad muneris functionem indulget & concedit: ea ſiquidem multis ſumptibus indigere aſſerit. Haud quippe in promptu eſt cuiuis Cretenſem herbam comportare, & pennam Ægyptiam, & os Ibericum, & quæcunque alia ineptè garriunt ac effutiunt ij, qui circa talia inſtrumenta ærumnoſè laborant. *ſed ea ob quæ*. dixerim inſtrumenta ſcilicet. *rhedæ ſunt*. plauſtri, vehiculi. *aliæ partes*. verba & opera myſteriorum plena. *nam ita dictu verius eſt*. reuelarunt videlicet ac prodiderunt. *vltrò*. diuinam reuelationem. *quiſpiam*. homo quilibet. *vexatione*. Nam antiſtites qui externam inquirunt diuinãdi artem, de quibus paulò ante locutus eſt, magica arte vtentes quibuſdam carminibus vim incantandi habentibus nonnullos dæmonas eliciunt

[Margin notes: ὠφελοῖο. *pag*.30. — *pag*.18.*b*. οὕτω γάρ. *Ibid*.]

liciunt

liciunt deducúntque, ac inuitos & reluctantes tyrannicè violentérque custodiunt, & ab his sciscitantur quæ cupiunt scire. Id patet è carminibus, quibus in medium adducunt Hecatem dicétem, Post matutinum splendorem immensum, astris refertum, incontaminatam & amplam domum Dei reliqui, atque ascendo ad terram viuorum alumnam tuis monitis, suasúque nefandorum versuum, quibus certè rudia immortalium præcordia delinit mortalis homo. Ac rursus alius dæmon coactus loqui, ait, Exaudi me inuitum, quoniam me ligauit necessitas. Rursum alius alibi dicit: Cur me semper currente ab æthere hîc desidens, diuina domantibus me Hecatem deam euocasti necessitatibus? & reliqua. Nam tales dæmonum naturæ crassiores effectæ propter inueteratam nequitiam, animam rationis expertem sibi compararunt: & ob id partim quidem sua sponte, partim verò inuitæ talibus rebus attrahũtur pelliciũtúrque. Ait enim Plotinus neque liberam voluntatem, neque rationem à musica aut ludificatione vnquam attrahi, sed animam rationis expertem. Quanquam amant inuitari, licet istud minimè deposcant. Neque quando aliquis præstigijs decipit, perspicientiam ac iudicandi vim habet ille dæmon qui imposturis eluditur, neque sentit, at exploratũ habet iam lacessitus se incommodo affici. Et quoniam eiusmodi dæmonum naturæ incantationibus, præstigijs & carminibus vincuntur, opprimuntúrque, perspicuum est etiam ipsas habere animam ationis exper-

tem, compoſitionem & craſſitudinem. *vexatione ac molitione*. vt fabri, ſtructores, architecti. *vt actio*. fatidicæ ſcientiæ quæ illic maximè negotioſa eſt, in qua moleſtum eſt circunducere neceſſaria ad diuinationem inſtrumenta.

pag.19.a. *malignæ ciuitatis*. inuidorum quorundam ciuiũ.

ἀρχομένης. *ex imperio*. è ſua ciuitate. *inſipientis eſt*. hominis

pag.31. enim dementis fuerit, inquit, exterminare ex vrbe ſibi ſubdita dormiendi facultatem, ideóque iſtud quidem fieri nequit. Non ſolum, ait, inconſulti ac temerarij, verumetiam impij fuerit, propterea quod legem ſancit & Deo & naturæ contrariam. Etenim ſiue Deus, ſiue natura magnum hunc valdéque neceſſarium ſtatum & affectum animali inſeuit, vt quieſceret. Quoniam igitur, inquit, hactenus demonſtratum eſt neceſſarium eſſe vt omnes homines dormiant, ac dormientes ſomniorum fiant inſpectores, æquum etiã fuerit omnibus licere vt ſe conferant ad diuinandi artificium, quod fit per ſomnia, ſiue diuites ſiue pauperes ſint, viri aut mulieres, &, vt paucis cõplectar, cuiuſuis ætatis homines.

pag.19.b. *ad ipſam*. ſomniorũ diuinationem. *prophetiſſa*. di-

προφῆτις. uinatio quæ contingit per viſa & ſpectra dor-

pag.32. mientis. *ampliori voluptate*. maiori. *incitamur*. vt qui aſſentitur ac indulget ſpei & expectationi ſomniorum. *in natura eſt*. hominum. *vt ab initio, vt prius*. in penuria, ærumnis & priuatione rerum expetendarum. *vitã circumuenientes*. quas nimirum dolia continebant. *Prometheus*. Mundi natura & eorum quæ ſunt in mũdo vna cum ſit, multis nominibus deſignatã appellationem obtinuit,

obtinuit, ob diſtinctas facultates & occultas vires. Verbi gratia, fortuna omnium cauſa dicitur eſſe, eò quod ſola omnia ſtruit: ſed propter ſeriem nexus cauſarum dicitur fatum: & ob inſuperabilem inuictámque eius virtutem, neceſſitas appellatur: verùm quia aliud alij diſtribuitur vt ſit eiuſdem particeps, nuncupatur ſors. At quoniam eius opera declinari auertíque non poſſunt, dicitur Atropos: mors enim nemini parcit, cum ſit inexorabilis. Sed propter exactionem ac terminationem ipſius diſpenſationis, parca: Et ob commoda quæ hominibus adueniunt, prouidentia & Prometheus. Quocirca hoc in loco Syneſius naturæ prouidendi ac proſpiciendi vim, quæ circa res naturales indicatur, Prometheum nominauit. Et Æſchylus in ea fabula quam inſcripſit Prometheus captiuus, introducens Prometheum multis angoribus ac moleſtijs implicatum propter vincula, & cauſas commemorantem quibus à Ioue excruciatur, ait, quia Mortales quieſcere feci, eíſque «
animum addidi ne præuiderent ſolùm, in ipſis «
ſpei cæcæ domicilium collocans. At Euripides «
magis circumſpectus Promethei nomen ad communem rerum omnium opificem refert, manifeſtè dicens: Quid tandem Prometheus «
quem tradunt nos finxiſſe, & omnia alia ani- «
mantia, belluis quidem conceſſit ſingulis vni- «
cam naturam ſecundum genus ſuum: cuncti «
leones ſunt robuſti, deinceps omnes lepores ti- *pa. 20.a.*
midi. *quando animi voluntati.* cupiditati, optio- *λοχαγός.*
ni. *ductor manipuli.* Manipulus eſt congregatio *pag.33.*

militaris è 16 viris. Qui igitur in anterioribus militiæ partibus insistit, & manipulum ducit, vocatur tribunus plebis seu dux cohortis: qui verò à tergo, extremi agminis ductor: sed tota cohors vocatur ordo militaris, & à nonnullis turma. Quidam autem turmam quartam cohortis partem affirmarũt, & eius præfectum militaris ordinis principem. Duas verò turmas, militum manipulum appellarunt, & eius ductorẽ, duplarem. Quocirca semicohors etiam vocatur manipulus, & dux semiagminis, duplicarius. Cætus autem decuriæ est, quando primo manipulo alter adiungitur. *ac certè pedum.* vinculorũ qnibus pedes illius detinentur. *vigilantis insomnium.* Quoniam sapiens & industrius noster Synesius in huius libri frequentibus locis, indifferẽter vsus est nominibus somniorum & insomniorum: visum est nobis de his quidpiam vberiùs persequi. Sunt enim differentia ea quæ posita constitutáque sunt apud veteres, de ijs quæ apparent insomnijs. Quinque enim aiunt eorum esse species: quarum prima insomnium nominatur, altera phantasma, tertia oraculum, quarta visio, quinta somnium. Insomnium quidem est diurnarum solicitudinum effusio: istud autem fit anima quodammodo conturbata, vel corpore quidpiam passo. Anima quidem, vt cùm dominus ad iram prouocatus seruo succenset, quòd forsitan turpiter & indecenter opera sibi assignata iniunctáque dispensarit: deinde inter dormiendum se existimat his de rebus famulum interrogare.

Non

Non ſecus atque in mari cernimus fieri, quando ipſum concitauit ventus ſeptentrionalis, deinceps ceſſantibus & quieſcentibus ventorum flatibus, tumultus maris permanet: corpore autẽ, vt ſi quis ſiti vexatus ſe putet currere iuxta fluuios ac fontes. Phantaſma verò eſt, quando neque profundo vehementíque ſomno homo ſopitus, nec planè vigilãs, ſed veluti in meditullio & intercapedine horum conſtitutus, inſolentes ac prodigioſas natura & varietate, necnon magnitudine inuſitatas formas ſe exiſtimat videre, aut promiſcuas & aceruatim congeſtas, aut exiles, anguſtas & particulatim collocatas, alias aliter vagantes, aut turbam aut gaudium adducentes. Oraculum, quando angelus, vel ſacerdos, aut pater, vel quidpiam ſanctimoniam & grauitatem præ ſe ferens ipſo aſpectu, id quod viſum eſt verbis compellat, quò ab his veluti periculum aut moleſtiam allaturis ſibi temperet ac abſtineat, illa autem ex oppoſito faciat, quaſi multa commoda aduehere debeant. Viſio, quãdo quod quis poſtridie viſurus eſt propter expectationem, pręoccupans iſtud ipſum ſimili & immutabili modo videt. Somnium verò, quando obſcurè, ænigmaticè & vmbroſè, alia pro aliis cernimus, idola quædam & ſimulachra rerum euenturarum coniectu difficilia, & copioſa quiſquiliarum farragine obtecta, quæ nõ parua indigent arte experientiáque, vt dignoſcatur prænunciata ab ipſis expoſitio. Haud quippe opus eſt alio præceptore ad ea explicanda, ſed fas eſt ſeipſum ſibimetipſi magiſtrum ac modera-

torem eſſe, conſuetudine naturalis priuatæque ſuæ vitæ inſtitutionis veluti deductrice vtendo. Nam hic inter ſomniandum vidit ſe vinum bibere, poſtridie in quaſdam res infeſtas & acerbas incidit: ille verò qui neque iſtud obſeruauerit, contrà voluptatibus quibuſdam & oblectamentis fit obuius. Sed harum rerum cauſam alibi declarabimus. *ſimulachra fingere*. hoc eſt, in ineptis ſenſibus occupare ea quæ commenti & imaginati ſumus. *reuocat*. animum. *à moleſtia ſenſuum*. Ab his quæ per ſentiendi organa adducuntur. *ſuo iure*. domo, ſcilicet imaginatrix natura. *pignus*. nempe arrhabonē. *rerum maiorum*. vt honorum, auctoritate, diuitiarum & ſapientiæ. *propoſuit*. priùs demonſtrauit. *ante factum*. ante ſperatum opus. *ſapientem vſum*.
pag.20.b. cordatè & cum quadam ſcientia. *antea*. eò quod
τῷ πάλαι. præoccupauerit & conſiderauerit. *pertinentibus*.
pag.33. congruis & idoneis. *in cælum euexit*. ſpem quam
εὐδαιμο- laudauit. *beato*. diuite ac iuſto. *quòd vtique*. Hoc
νι ς. p.34. Pindari dicto etiam vſus eſt Plato in lib. de Repub. ſed non ad eum ſcopum planè cum Syneſio reſpiciens. Ille enim ediſſerens de his in quibus diues aliis adiumentum adfert, eo vſus eſt: hic verò in quibuſcunque verſatur diuinatio ſomniorum. Ait enim ipſe in primo Politicorum libro, quòd in vita multorum peccatorum ſibi conſcius, etiam è ſomniis, quemadmodum pueri, frequenter expergefactus terreatur, & viuat cum mala ſpe: ſed ſibi compertum habenti nihil ſe iniuſtè feciſſe, iucundam ſpem ſemper adeſſe, quæ ſenectutis nutrix eſt optima: vt &

Pindarus

Pindarus dicit, quòd qui ſanctè iuſtéque vitam "
traduxerit, dulcis ſpes cor augens ſenectutis al- "
trix,&c. Deinceps timentem illuc proficiſci,ait, videlicet ad inferos: magnam partem ad id pecuniarum poſſeſſio confert. *vtique rei*. Quærit in certaminibus generoſitatis ſpes. *iuuenum nutrix*. ſcribitur aliàs, *ſenectutis alumna*. [*ei comes eſt*. copulatur, eámque comitatur. *quam nobiſmet ipſis*. quam paulò ante per ſimulacra & imagines à nobis fingi dixit. *id omne breuis partis*. Breuem inſomniorum partem dicit,nempe ſpem gloriæ ac diuitiarum præ ſe ferre, & quæcunque carnis amore irretiti amant & ſectantur. Sed maior pars eſt diuinatio ſomniorum,quæ rerum futurarum præcognitionem lucrifacit. *deterioris*.falſi vaníque commenti. *duplices conſtituit portas*.Gemina & ambigua agnouit Homerus ſomnia,cæleſtia nec non terreſtria. Proinde ſomnia cæleſtia cornibus aſſimilat,eò quòd cornua in faſtigium vigeant tendántque, aut quòd proxima affiniáque ſint animi principatui, quæ etiam ſeriò agere aſſerit: ſed terreſtria dentibus elephãtis, quia ipſius dentes ventris ſatietati ſubſeruiunt: quod quidem velut terrenum ac materiale in confuſionis ac mendacij explicationem ſumptum eſt. Alioqui cornu extenuatum lucidum efficitur, vt etiam ad ſpecula conferat,ſed elephantis dentes nequaquam: vt hinc iuſtius ſit ad veritatis demonſtrationem cornu vſurpari. *nam ſi*.Si enim circa ſomniorum iudicium ſagax & cauta fuiſſet Penelope, compertum habuiſſet omnia ſomnia ſua natura poſſe ſeriò

pag.34. κουροτρόφος. γρ. γηροτρόφος.

agere & veracia esse, sed ignorantia humana indecenter & ineptè ea comparans fallacia interdum vanáque esse existimat. *omnia.* Omnia sicut veracia per corneas portas, & quædam velut non fallacia per elephantinas & eburneas trãsmittebat. *introducta est.* ab Homero: ista sunt in Odyssea. *anseres quidem proci.* Ea percenset Homerus in 19. Odysseæ libro. Sic porrò se res habet: Domum reuersus Vlysses post assiduos illos errores, in suis quidem ædibus consuetudinem habebat cum seruis & ancillis, versabatur quoque cum Penelope, nisi quòd vt hospes erat illis ignotus. Ergo inter illas confabulationes apud Vlyssem percensens suos angores & molestias, quoniam noctu diúque immoderatis animi ægritudinibus propter maritum suum tabescit & attenuatur lugens atque lamentans: Et hæc dicit,

Hospes tu nobis precor hæc insomnia, mente
Concipe, ab anseribus vicenis, arce sub alta
Pascuntur mixto lymphæ frumenta liquore.
Quos ego dum video pascentes, lætor. ab alto
Monte volans pennis rostro crudelis adunco,
Atque ingens aquila inuasit, pendentia colla
Ceruicémque ruens victos mactauit: at illi
Sternuntur cæsi paßim, & iacuere cruore.
Armiger igniferum sublatus in æthera pennis
Fugit & insurgens simul aëra verberat alis.
Dum queror insomnis vltro flens ipsa videbar,
Et lacrymas somno, largósque effundere fletus,
Lamentánsque diu mœstas expromere voces.
At circum flaue funduntur Achaides vnà,

Lugentes

Lugentes miserè, & tristem solantur, ab alto
Missa aquila anseribus quòd mortem immiserit acrē,
Vestibulum ante ipsum rursus librata per auras
Insedit tectis, quæ summa palatia iungunt,
Ac sic vociferans humanis vocibus vsa est:
Nobilis Icarij proles clarißima fide,
Non sopor illud erat, non somnia vana tenebris,
Sed fœlix potius omen, factúmque sequetur
Vera fides. Namque anseribus portenditur arce
Turba procûm. sed ego tibi sum pennata volucris:
Vnca aquila antè fui, nunc coniunx dulcis Vlysses
Adueni nuper, qui cunctis aspera fata
Morte procis mittam, & crudelia funera martis.
Sic ait, atque meos sopor ipse reliquerat artus,
Et dulcis somnus languentia membra remisit.
Tum verò anseribus stabulis intenta sub arce,
Illos aspicio segetem & frumenta resecta
Iuxta vrnam positam densos, velut antè solebant,
Carpere vescentes commixto murmure rauco.
Tunc Ithacus prudens infert sic ore loquutus:
O regina, equidem vix fas est dicere causas,
Quæque aliò vergunt, insomnia noctis in vmbris
Declarasse notis. Quoniam tibi fortis Vlysses
Iamdudum incumbit, meditatus atrocia facta.
Namque procis cædes, & tristia funera mortis
Omnibus impendent, fluitabit & aula cruore.
Nullus enim lethum, & Parcarum fata superba,
Effugiet. contrà tum Penelopea profatur,
Sunt equidem ô hospes insomnia vana figuris,
Et gelido quamuis currunt infirma sopore,
Illáque iudicio, certa & ratione vacare,
Nam sine delectu quædam volitare videntur

Atque adeò euentu non omnia facta sequuntur
Somnia: sępè quidem veniens deludit imago.
Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris:
Altera candenti perfecta nitens Elephanto,
Quæ veniunt eboris porta, sectíque elephanti,
Somnia frustrantur falsa sub imagine noctis,
Decipiúntque notis verba imperfecta futuri.
Sed quæ missa foras nitidißima cornua lapsu
Transiuere leui, quà cornua porta relucet,
Implent vera quidem miseris mortalibus acta,
Cùm videre horis volitantes nocte figuras.
At non hac credo venisse insomnia porta.

pag.21.a. [*cum toto exercitu.*] Homerus in Iliade Iouem inducit volentem honorare Achillem ob ea quæ Thetidi promiserat. Ait igitur cùm Agamemnoni dormienti somnium immisisset Iupiter, iubet vt omnes simul Græcos ad pugnam contra Troianos educat & expromat, vt videlicet coactus Agamemnon, Achillem etiam exire ad bellum hortaretur: nam hæc vox πανσυδίῃ, cum omnibus Græcorum copijs, vniuersos simul & collectim summatímque comprehendit. Sed Agamemnon cùm non posset assequi intelligẽtiam huius verbi, quod innuit cum omni armatorum multitudine, erat immemor Achillis, cui subijciebatur Myrmidonum phaláx totius exercitus bellicosissima. Et hinc mutilum atque imperfectum mansit Iouis edictum. vnde non potuit vrbem expugnando capere iuxta illius pollicitationem. *eas abiiciamus.* Abijciamus, pro eo quod est subiiciamus sumendum est, ab eorum meta-

(margin: πανσυδίῃ. pag.35.)

metaphora, qui deponunt onus quod geſtant. Loquitur autem Ariſtides in lib. ſuper quatuor, hunc in modum: de loquacibus quidem certè, O Plato, incultis, rudibus ac timidis, iſtinc abijce, ne fortè quiſpiam alius Deus Troianos excitet. *abijciamus*. Quaſi dicat deponamus talia præconia, & ſilentio prætermittamus. *propemodum*. hoc ita debet intelligi, ſed propemodum inſolentiæ reus peractus ſum, publicè quidem edens artem diuinandi, & per inſomnia præſagiendi, idoneam eſſe ad ſimul nauigandum, ad exequendum & efficiendum cum omnibus illa omnia, quæ paulò antè enumeraui: quædā verò in propatulo nondum manifeſtaui commoda quæ in me ipſum ex eadem arte redundarēt. *vt ſim ſciſcitabundus*. ſciſciter à ſomnio ſi ſit ſomnium. *veteris Atticæ*. veterem Atticam dicit, quæ à Gorgia incepit, cuius princeps erat Gorgias ille Leontinus: vtebatur enim etiam poeticis nominibus propter grauitatem & orationis nouitatem: recens verò Attica inchoauit ab Æſchine ac Demoſthene. Erat autem ipſa politior nitidiórque, & ipſi auditui ſuauior. *partim quidpiam dicentem*. nempe actionem, aut vnumquemque. *quid ſit enunciantem*. ſuperaddentem etiam qualitatem, quod ſit vitæ decus. *exortos*. crebrò inſurgentes. *ad diem præfinitum*. ad determinatum ac præſtitutum diem. *in ſtatione ſub dio permaneremus*. ad ianuam præſtolando: à verbo ἀυλίζομαι, quod eſt, pernocto, abſcondor, excludor tecto. *& fortuna*. continuò, de repente aderat fortuna non expectata. *legationis*

pag. 21. b. καὶ καταβάλομεν. ib.

ἡ τύχη. pag. 36.

munus obiui. nisi me interpellasset tandémque interrupisset legatio ad imperatorem Arcadiũ. *& tamen*. veruntamen, etiam tunc. *manes elicientium*. Manium educendorum ars, euocandarum animarum scientia, & mortuorũ euocatio, idem sonant. Sic porrò effertur vna eadémque res multis nominibus apud Græcos, quemadmodum ex alijs non pauca. Quod autem significatur tale est: nonnulli quibusdam imposturis & incantationibus vtentes, etiam alia monstrosa & prodigiosa faciunt, contendúntque defunctorum quorumcunque voluerint animas educere: itaque videntur per magica carmina & quasdam abiurationes animas adigere. Apparẽt enim, & ad interrogata respondent, sed ea quæ in conspectum veniunt non sunt defunctorum animæ, at dæmonia quædam, quæ certè prius erant agmina angelica & lucida, deinde propter tumorem, fastum, eleuationem, superbiam & nequitiam in perpetuum disiecta ex illo cælesti ac diuino choro cœtúque, circa hunc terræ adiacentem tractum fallunt, hominésque seducũt, splendorem, lucem ac subtilitatem illam cùm semel repudiarint, eã cum obscuritate ac ignobilitate, & cum dissentienti crassitudine necnon versatili astutáque spissitate commutarũt. Ergo asserunt Græcorum & Chaldæorum sapientes ex ipsis nonnulla aëria esse, alia aquea & marina, alia terrena, alia verò subterranea: & quædam eorum nidore ac sacrificiorum vstura fumóq; delectari, alia sanguine fuso, alia fœditate & quibusdam inquinamentis, alia denique alijs

ac

ψυχοπέμπων. p. 37.

ac talibus magis. Nam eam ob causam fatidicus Apollo iubet, vt hi qui ad mortuorum euocationem accedunt aliis sacrificiis vtantur, aliis verò qui ex aqua artes magicas exercent, aliis denique qui aëris vaticinandi artificium adhibent, & alij aliis superstitionibus vtantur. Nos quidem certè ista & permulta alia missa facientes, ad sermones nos conferamus eorum duntaxat veneficorum qui animas defunctorum eliciunt. Illi siquidem magica diuinãdi arte circa mortuorum cadauera vtuntur. Et hos quidem sortilegus Apollo exhortatur ista peragere: victimas, inquit, occidens, infe- "
rorum gratia defodito, & in scrobem sangui- "
nem immittito. Funde mel nymphis ac Diony- "
sij munera. qualia iubet Homerica Circe Vlyssem facere, nĩmirum ad inferos descendentem.

Cúmque huc appuleris, tunc heros siste carinam,
Effodiásque scrobem iubeo, cubitóque remensus, Odyss. x.
In longum ducas, tantum quoque lata feratur.
Omnibus hic fundas vmbris libamina supplex:
Primò mellitos succos, mulsúmque liquescens:
Dulcia deinde sacri feruentia vina Lyæi:
Tertia fac illis accedat & æquoris vnda.
His etiam canas addens confunde farinas,
Imbellésque vmbras genibus reflexus adora,
Et vanescentes animas in vota vocato:
Si liceat patrios Ithacæ repetisse penates,
Te mactaturum sterilem promitte iuuencam,
Quæcunque excellat, quam tota armenta sequantur.
Extructámque pyram fructu cumulare benigno
Te velle, æquoreæ Ithacæ Laertis in arce.

Tiresiæ fac lætus ouem cum vellere pullo
Deuoueas, quicunque greges per pascua vincat.
Talem verò sensum hæc continent: Mel quidem, eò quòd veluti æmulum se ex aduerso obijcit mortis amaritudini: lac autem propter fuscum & nigricantem tenebrarum colorem: vinum ob angores & molestias: denique aquam, quandoquidem ex quatuor elementis homo constitutus est. ouem porrò dixit, quia cõmunia fiunt subterraneorum terrestriúmque ea animalia quæ quatuor pedibus incedunt: nigram propter loci caliginem. gladium, propterea quòd mos est his qui incantationes dæmonicas adhibent, quoslibet gladios sub imperio tenere, ne fortè dæmones abiurationibus & inuocationibus violati repentino impetu quidpiam mali adferant irruentes in abiurantem & euocantem. Eam ob rem gladios gestare coguntur, vt eorum adminiculo illos perterrefaciant, neque sinant prope se accedere, sed à longe interrogati respondeant. Quoniam enim viuaces sunt spiritus, habéntque crassitudinem ac spissitatem, sicuti diximus, ipsi quoque formidant sectionem ac diuisionem: etiam offenduntur si vexantur, feriuntur & verberantur. Etenim inter homines pœnas luentes ac dolore vexatos, non caro est quæ laborem & ægritudinem sustinet, sed animalis spiritus. Nónne cruciaretur ac doleret etiam separata ab anima viuificante spiritúsque vitales producente? Nihilominus qui manes eliciunt, & mortuorum animas ab inferis excitant, à nobis enumeratis veneficijs & euocatio-

euocationibus vtentes, quaſi internũcios quoſdam adducunt & alliciunt huiuſmodi dæmonas, ad retrahendas quorundam mortuorum animas quas voluerint:ſed cùm non valeant animas adducere, ex neceſſitate reliquum eſt vt in illorum defunctorum formas tranſmutentur tales dæmones, & cernantur agnoſcantúrque ab amicis & conſanguineis, & ad interrogata reſpondeant, & iuſſa exequantur. In iacturam enim ac diſpendium quorundam ſæpenumero impetum fieri iubent, ac ſeſe ex aduerſo opponunt. Tale profectò incommodum circunſpectus ille Synesius dum aliquando pati periclitaretur à quibuſdam inimicis præſtigiatoribus mortuorum animas elicientibus, præuidit inter ſomniandum, & illinc periculum ſtatim euitauit. Huius itaque nunc meminit in laudem diuinandi induſtriæ quæ in ſomniorum interpretationes ſuas vires exerit. *quas enim obtinet.* Anima ſiquidem fantaſtica ſpecies continet iuxta domeſticam & peculiarem naturam, eas nimirum quas ſupra dixit: quia animus ſpecies eorum quæ fiunt & eueniunt habet, vt mens ſpecies eorum quæ reuera exiſtunt. *iis qui vergunt.* Cùm hactenus duos mũdos aſſignauerit, vnum qualibet ex parte lucidum, alterum vndique caliginoſum, & omni ex parte fulgentem præſtãtiorem eſſe, ſimúlque ordines qui ſunt in ipſo ac diuinas poteſtates, quos more Chaldaico deos nuncupat: ex conſequenti hæc etiam dicit, quæ certè erunt manifeſta, ſi prius expoſuerimus Ægyptiacas & Chaldaicas opiniones, quas

pa.22. b.
ἄ, π 78.
pag. 57.

idem obſeruat & imitatur. Quemadmodum enim Moſes ad ſimilitudinem & imaginem Dei hominem factum dicit, ita Chaldæi necnon Ægyptij mundi parentem & creatorem dictitāt ſymbola quædam & indicia ſuæ ipſius proprietatis animis inſeuiſſe. Haud enim animæ tantum, vt aiunt, à paternis ſeminibus principium habent, ſed etiam omnes ordines præcedentes exorti ſunt, ſuámque prius originem habuerūt. Vnde nos hortantur & commonefaciunt, vt quoniam non è corporeis temperamentis in rerum naturam productus eſt, ſed ex altiori antiquioríque origine ſubſtantiam vitámque habuit, videlicet ex Deo, etiam cognationem & affinitatem habet cum ſupereminentibus ordinibus, ad illos vt conuertatur idem homo operæprecium eſt, propter reminiſcentiam diuinioris ſortis ac hereditatis, quam à creatore atque rerum omnium parente deſcendens accepit, vt illuc rurſus aſcendat. Hæc verba è veſtigio ſequens Syneſius, ait, animam quieſcētem & immunem à tumultu vulgarium & craſſiorum ſenſuum, ſpecies, id eſt, recordationes, quas de ſuperna cæleſtíque regione deſcendens admittit ac tenet, eaſdem condonare hominibus qui rerum diuinarum ac æternarum contemplationi dant operam. Iam enim commercium habet cum diuinioribus ac ſupereminentibus ordinibus, atque illuc quædam vis & facultas diuinior ipſi familiariter adhæret, ex illo ſcilicet mundo: eam porrò Deum mundanum
p.ig.23.1. vocat. *ſiue intelligentia.* virtutem intelligētia ſeu
prudentia

prudentia comparatam dicit, quæ ex vſu experientiáque innaſcitur, ſed ex moribus euenientem & ingenitam ait moralem virtutem, quæ ex conſuetudine doctrináque exoritur. Ariſt. quidem certè quaſi veram dictionis originem diſcutiens, moralem nuncupat ipſam à more. Sed ἔθος aſſuefactio, efficacia eſt, at ἦθος indoles ſeu natura, qualitas eſt, quæ propter efficaciam in animo affectibus obnoxió ingenerata eſt, ceu finis & opus aſſuefactionis. Nullam verò è moralibus virtutibus à natura nobis ingeneratam eſſe idem ait: nihil enim ex ijs quæ ſunt ſecundum naturam aliam ac diuerſam aſſuefactionem induit, vt ignis natura ſurſum tendit, nec vnquam poteſt aſſuefieri, vt deorſum feratur, & ſic de alijs. *ſiue moribus ingenita.* Ethicen ſeu moralem ſcientiam dicit à monitore, vſu conſuetudinéque contingentem. *cuipiam alij.* minimè ſtudioſo homini, neque induſtrio ac virtute prædito. *non exigua aliqua cauſa.* ſed propter magnum ac neceſſarium quoddam opus. *optimi generis.* Quemadmodũ elapſis temporibus euenit Balaam homini peregrino & alienigenæ. *quæ fuerunt.* eorum quæ in medium prodierunt & præterita ſunt. *quandoquidem.* futurum aliquando & in ſubſtantiam ac naturam venturum eſt. *ſubſiſtentiæ.* Sapientes hunc præſentem mundum ſimulachrum & effigiem æternitatis eſſe dicunt: Sequitur ergo opera quæ in eo ſunt ſimulachra eſſe eorum quæ re ipſa ſubſiſtunt & in illo continentur: non ſolùm hoc, verumetiam imagines & ſimulachra quæ

τῶν ἐν ἀέρι φαντασμάτων, τὰ μὲν ἔστι κατ' ἔμφασιν, τὰ δὲ καθ' ὑπόστασιν.

Hoc eſt, *Eorũ quæ in aere apparẽt, alia ſpecie tenus exiſtunt, alia etiã habent naturæ ſubſiſtẽtiam.*

inuicem vltro citróque alia ex aliis fiunt & contingunt, idola & ipſa nominant. Horum autem omnium ſubiectum aërem * capacem eſſe aſſerunt: veluti exempli cauſa, ſermonem enunciatiuè & articulatim pronunciatum miniméque truncatum aër excipiens, & ſeipſum, tanquam ſpeculum quoddam, occultè partiens in multiplices transfert auditiones, quia ſimili ratione affectus eſt cum articulorum vocíſque iuncturarum cõſtantia. Iſtud ipſum facit etiam ad omnes colores, cunctóſque vapores, & ad omnia quæ in mundo facultatibus vim ſentiẽdi obtinentibus ſubiacent. Iſta igitur ac talia etiam hîc Syneſius effluentia idola rerum ſub ſenſum cadentiũ appellat, & concretorũ fluẽta. Etenim primæ primogeniæq; ſecundũ Grȩcos materiæ, à qua elementa orta ſunt, ſolo mentis conceptu creatæ atque compoſitæ, quidam fuerit meatus. Conſideramus autem ipſius lapſum ex his quæ ſunt ſecundum coagmentationem compoſitionémque rerum particularium hoc in mundo ſuam ſpeciem conſtituentium: hæ ſiquidem ſemper naſcuntur, alterantur, in aliámque naturam vertuntur, & corrumpuntur. Nec verò duntaxat ſecundum ipſius materiæ fluxionem, verumetiam, vt ita loquar, eiuſmodi ſpecies fructum ſimul hauriũt eiuſdem affectionis & corruptionis: & ita, ait, res quæ in mundo continentur recuſant ac repellunt dignitatem eius quod reuera eſt, verámque habet ſubſtantiam. Entis autem dignitas eſt ſemper eſſe. Hæ contrà ſpecies rerum non ſemper exiſtunt, nec ab

vno

vno perſtare poſſunt, ſed quædam fuerũt, quædam naſcuntur, quædã verò eſſe debent. Quocirca ex his omnibus effluẽtia ſimulachra omnia perluſtrant, vagantur, & effugiunt per aërem oberrantia: ſed ad aliquid applicantur, huícque incumbunt, & vnicam laborum relaxationem in animæ ſpiritu fantaſtico inueniunt, quiquidẽ eſt idolum ac ſimulachrum animæ. Mentis quidem idolum eſt anima, rurſus animæ ſimulachrũ ſpiritus eſt fantaſticus. Quæcunque igitur, inquit, idola effluunt ex his quæ fuerunt, & ex his quæ naſcuntur oriuntúrque perſpicuè ac dilucidè pereunt: quæ verò futurorum ſunt, iſta incerta, coniectu ardua, obſcura, & ænigmaticis velamentis obtecta ſunt. Quemadmodum enim ſiquis viator præteriens amygdali florem conſpexerit, nouit continuò quia fructus amygdali florem ſubſequetur: qualitatem certè, magnitudinem & frugum perfectionẽ opportunitatémque haud definitè nouit. Hunc in modum, quæcumque ſimulachra è rebus futuris fluunt, prænunciant quidem quidpiam euẽturum, non tamen vt plurimùm apertè rei qualitatem. *imagines.* vt ſunt characteres, ſimulachra & typi. *hypoſtaſi.* è ſua eſſentia & natura. *materia.* hoc eſt, ex compoſitis fieri. Eò quòd decidit ac dilabitur, lapſum facit. *conuincit.* quaſi ſuperior euadit, & admitit. *transferri.* effluere ex compoſitis quantùm ad materiam, & ſpeciem, quæ quidem ambo fragilia ſunt & caduca. *eius quod eſt.* rei quæ propriè eſt in rerum natura. *ea quæ eueniunt.* quæ ſunt interitui obnoxia, fra- pag. 23. b.

gilia, mutabilia. *effugientes*. à ſcopo aberrantes. *& incertitudine ſubſtantiæ*. Cùm ſint typi ac formæ eorum quæ ſunt in rerum natura, & vmbræ, non tamen exiſtunt. *eorum quæ ſunt*. quæ reipſa & per ſe exiſtunt. *agnoſcantur*. tanquam alienæ & abhorrentes ab illorum natura. *in animales*. in ſpiritus imaginationis. *in natura*. humana. *atqui ab his quæ*. Quemadmodum domus quæ iamiam exoritur & emergit, non eſt ens: neque enim in perfectam ſuiſque omnibus pattibus abſolutam naturam venit: Ita hîc etiam comparat Syneſius & recenſet ea quæ dicit. Exempli cauſa, haud dubiè hominem quandiu viuit, vt rem conſiſtentem conſiderat: ſed poſteaquàm mortem cum vita commutarit, tunc illum perpendit cõſummatum, & iam eſt ens vi occulta, veluti ceſſet ac deſiſtat ab eſſentia, & conſummationem ſumat eius quod prius potentia erat. *viuaciores*. viuentes, ſuperſtites. *naturæ imperfectæ*. imperfectum eſt enim id quod futurum
pag. 39. eſt, propterea quòd nondum in originem venit.
ἀπ' αὐτοῦ, *exilientia*. à floribus deprompta eſt hæc meta-
γρ. ἐπ' αὐτῶν phora, qui ante fructus exiliunt & erumpunt. [*inde proficiſcuntur*.] ab eo ſpiritu fantaſtico. *ſed iam aliquid de arte dicendum*. Hinc exorditur docere quopacto noſmet ipſos præparare oporteat ad ſuſceptionem artis diuinandi quæ fit per ſomnia. *ſpiritum*. fantaſticum. *paſtus*. Docet qua methodo operæprecium eſt enutrire & augere artem diuinationis ſomniorum. Aſſerit autem id fieri debere per philoſophiam, quippe quæ mortis meditatio eſt, & per modeſtum &

frugale vitæ institutum. Ista enim sunt veluti fræna affectuũ & appetituum,atque immobilitas quædam. At incomposita, proterua & libidinosa viuendi ratio, fluctuationem, ait, ac tempestatem in extremo corpore ingenerat: Quod quidem ille Platonem imitatus ostreorũ inuolucrum nuncupauit. Hoc rursum corpus per vicissitudinem sentiendi idoneæ motum ac violentiam vsque ad imaginationem transmittunt: vt quando quispiam aquam & aërem turbát & commouet, & rursus quod turbatum est aliud commouerit: & illud aliud, atque seruata serie istud diu vicissim fiat. Vide autem quo-pacto primum corpus fantasiam ceu imaginatricem animæ facultatem nominauit primum corpus,propter extremum & concharium integumentum: corpus verò, eò quòd crassior,corpulentiórque sit,& propius ad materię naturam accedat. *pastus*. educatio. *& per moderatum victum*. philosophiæ, necnon ingenuæ simplicísque vitæ beneficio. *cum corpore extremo*. carnali & belluimo, quod concharium vocauit operimentum. *eos qui mare peragrant*. Maritimus dicitur qui in ponto vel mari nauigat. [*Sunt enim ipsa veluti præuij præcusores eorum & similia similium*.] Similia facta nobis plerumque sortito adueniunt. *repentinas pluuias*. hyemes,procellas, imbres, fulmina. *circulos*. tres, vel duo, vel vnũ. *sydereos circulos*. de circulis instar areæ circa lunam apparentibus verba facit. *ex vno quidem*. Aratus in libro qui inscribitur φαινόμενα, de his quæ in cælo conspiciuntur & apparent, multa

pa.24.a.

pa.24.b.

alia de luna commemorat, atque etiam ab antiquiori ſuperioríque principio exorſus.

Vna, duplex, triplex, ſi cinxerit area Lunam,
Vnica ventorum præſagia, ſigna ſereni
Et feret: abruptos ſubitò prænunciat Euros
Marceſcens tenui ſenſim caligine, & æthra
Digeſtus patula, docet vndis adfore pacem.

Huius loci ſenſus hic eſt: Si vna fiat area, ſerenitatem expecta: denſitas enim exiguo momento dilabitur: quòd ſi erumpat, ventum præſtolare ex illa parte vnde fracturam ſumit: ſin autem duæ fuerint areæ, hyemem ac tempeſtatem ſperato, & adhuc maiorem ſi ſunt tres. *infimum.* Syneſius multoties ſupra ſpiritum fantaſticum primum animæ corpus nominauit, & corpus intemeratum, ac diuinum: infimum verò corpus conchatium integumentum, carnem cum neruis & oſſibus, reliquíſque corporis partibus quę ſimul aluntur. Quòd certè etiam elementorum familiaritate coniunctorum congreſſum vocat: hoc eſt, eorum quæ ab omnibus ita nominantur: ſunt autem calidum, frigidum, ſiccum, & humidum. Ait igitur non ita fieri poſſe de ſpiritu fantaſtico, quemadmodum licet de hoc carnali & infimo corpore animæ generatim artem tradere, atque vnam regulam vniuerſorum, & quibuſlibet modis apparentium ſomniorum. Corpus ſiquidem vel à frigore, vel calore incitatum frequenter ita afficitur. At ſpiritus fantaſticus infinitas habet differentias ac tranſmutationes, alterationéſque, de quibus non pauca ſuprà diximus: hîc quidem qui ſpiſſus & craſſus eſt aſſi-

eſt aſſimilatur naturæ terræ, ille verò aquę, alius aëri terræ propinquiori quãtum ad tenuitatem: alius autem aëri ſuper nebulas collocato. Ille porrò elementalis ignis circulo, alius æthereo: & alius quidem ſphæræ ſolari, ac deinceps ſimiliter alius alij: & alter alteri, pro vt vnuſquiſque animatus & affectus eſt ad craſſitudinem, tenuitatem aut lenitatem, iuxta cõgruam menſuram. *corpus infimum*. quæ quidem elementorum eſt congreſſio ac ſocietas. *congreſsio*. non ita ſe res habet de ſpiritu fantaſtico. *& rationem*. ſolertem artis medendi peritiam hominum qui nondum procreati ſunt, nec adhuc vitales auras carpunt. *nam plerumque*. & iſta eſt intermedia percuſſio quouſque non ita calore & frigore afficiantur elementa. *Vltra naturam*. extra familiaritatem & conſuetudinem. *non occulto corripitur morbo*. Quibuſdam enim aliquoties contingit imbecillitas recentior & inſueta. *Veruculum*. hanc regulam adhibemus. *alius ab alio*. fantaſticus à fantaſtico. *coagmentatæ materiæ*. craſſitudinis, ſpiſſitatis materiæ. *ænigmaticè innuit Timæus*. Ait Plato in Timæo: Qui hanc vniuerſitatem conſtabiliuit, totidem aſtris animas diuiſit, & ſingulas ſingulis diſtribuit, ac veluti in currum inducens vniuerſi naturam demonſtrauit, ipſiſque leges fatales narrauit: fore quidem vt vnica prima origo omnibus imponatur ſtatuatúrque, ne aliqua detrimentum percipiat. & quæ ſequuntur. *ei quidem*. ſpiritui. *à ſe ipſo*. à domeſtico & familiari inſtituto. *nihil enim*. Neque enim quicquam aliud tam lubricum, procax &

σῶμα τὸ ἔσχατον. pag. 4 2.
pag. 25. b.
pa. 26. a.
οὐδὲν γὰρ. pag. 43.

ad motum tam procliue quàm spiritus ille fantasticus. *ita versatile.* tam motui & perturbationi obnoxium. *ab iisdem.* spectris & imaginibus. *sed quonam modo euenire potest.* Obstaculum, inquit, versatile est, & error accuratæ imaginis in rebus quæ imaginatione continentur. Etenim diuersum in corporibus humanis temperamentum distincta quoque ostendit ea quæ apparēt, necnon diuersum vitæ institutum, & studium, atque differens educatio, dissidens est etiam ætatis vigor, varia est item commotio rerum quæ imaginatione comprehenduntur & effinguntur. Nam aqua liquida inquit euidentiora rerum apparētium demonstrat simulachra, quàm aliquo colore imbuta turbatáque: & ipsa turbida iuxta varietatis colorum & inquinamenti, varias ostendit imagines: Et rursus eadem aqua manente, ipsa quoque diuersa commotio differentiam efficiet apparentium idolorum. Aut enim non omnino spectrum apparebit, aut vix tandem præposterum. Nam eiusmodi commotio concussit somniorum rectitudinem & veritatem. Propterea, inquit arduum est in tam versatilibus discrepātibúsque rebus, simile spectrum commonstrari, arduum præterea regulam tradere. *liquida* lympida & illimis. *in statu permanens.* non commota. *disponatur.* informetur, & effigies suscipiat. *craßitudo.* inquinata & turbida, vel potius inquinamentum. Aliud est enim inquinamentum albi, aliud eius quod nigrum videtur, aliud denique eius quod puniceum apparet. *motus in plurimis figuris.* aquæ,

aut

aut tortuoſis, aut recto tramite directis. *ſiue*. vi-
detur conſuetudinem & colloquium habuiſſe
cum quibuſdam horum artificum de imagina-
tione ac diuinandi arte Syneſius. *Melampus*. hîc
Melampus Ægyptius erat rerum ſacrarum, &
apud eos auguſtarũ ſcriptor, ac ceremoniarum
antiſtes, necnon augurio clariſſimus. Is, vt aiũt,
Græcis tradidit Ægyptiorum ſacra, vt ea imita-
rentur, & ipſi ab illo informati iiſdem ope-
ram darent. Sed Phemonoe vates erat Apolli-
nis in edendis oraculis verſibus hexametris v- Ἢ ἀνο-
tens. *cenſebit* dogmata tradet, præcepta dabit. μοίων.
ex diſpari materia. ſunt enim ex vitro ſpecula, & pag. 44.
ex chalybe, & alia materia. *circa ſpiritum* vel de
varietate ſpiritus non locuti ſunt, ſed quaſi vni- pa. 26. b.
uerſi ſit vnius naturæ: fatidicum enim eſſe in
rebus futuris affirmarunt, quod ſit fatidicus in
imaginandi facultate. *eſſe regulam*. magiſtram
futuri. *per omnia diſcrepãtia ſimilitudinem*. Com-
pluribus enim inter ſomniandum lac bibenti-
bus, inter vigilãdum imminentium tumultuum
ſerenitatem ac tranquillitatem omnes pariter
habuimus, quamuis inter nos diſſentientes eſſe-
mus. Rurſum vino epoto moleſtiam percepe-
runt ſimili ratione inter ſe diſcrepantes, & infi-
nita alia, non tamen in omnibus iſtud ſemper
fit, ſed in aliis atque aliis aliter atque ſecus. *ſi diſ-
ſipetur*. in alia aliorum loco. *prius exilientis*, ſup-
ponenda res eſt duobus peractis annis euentu-
ra, ſi hodie in imaginatione apparuerit, prius
aufugit ex ordine domeſtico & peculiari, fitque
prouolutio rei nondum præſentis, ac naturæ

imperfectæ efflorescens pustula. *difficilius est.* Præterea verò, ait, magis arduum est assequi & colligere communem methodum in singulis hominum moribus. Nam hominum vnusquisque peculiarem quendam consuetudinis habitum, quoad consilium, voluntatem & cognitionem, habet: idcirco vario modo phantasmata singulis demonstrantur, & alia aliis aliorũ fiunt significatiua, nec ipsa ipsorum omnibus: Res est igitur plena laboris visa phantasmata colligere, & nosse quæ singulis hominibus distinctè eueniũt, & communi spectro compar atque æquale exprimere, hoc est, aliis simile, necnon communem vnicuique omnibus particulatim hominibus horum dare doctrinam, quemadmodum fortassis sigillatim & separatim animantibus communis animalis rationem ac definitionem assignamus, quod sit substantia animata vi sentiendi prædita: quod porrò iuxta vniuscuiusque voluntatem, cognitionem, considerationem ac dispositionem, interdũ verò iuxta eam artem, cuius vnusquisque sit particeps vigilando dormiendóque demonstrentur præcognitiones, hinc patet. Nam Assyriorum regi Nabuchodonosor nimirum strenuè & alacriter occupato circa variarum pecuniarum inuentionem ac possessionem, ostẽdit Deus futurum per simulachrum auro argentóque exornatum & instructum, & ex illa materia confectum, quæ eidem familiatis erat. Magis præterea toto animo & studio omni in astra eorúmque motus & collocationes incumbentibus, per stellam in-

carnatæ

carnatæ diuinæ prouidentiæ mysterium demō-
strauit. Et ipsi Abraham in Ægyptum profectu-
ro res futuras indicauit, quæ ipsi euenturæ erāt
per artem sibi familiarem & assuetam: ea autem
erat Chaldaica diuinatio ex hominum natiuita-
te desumpta, & præscientia è sectione fibrarum
hostiarū. Iuuēcam enim, dicit illi Deus, triennē, Gen. 15.
& capram trimā mihi sumito, ac duas in partes "
diuidito, & partes bifariam diuisas in ante-con- "
spectu ponito: quod sanè vbi fecisset, præsciuit "
semen suum peregrinum & accolam fore in ter-
ra aliena, & seruitutis iugo detentum iri annos
quadringentos: & quæ sequuntur. *phantasmati.*
scribitur etiam, *phantasma quoddam*, in quibusdā φαντάσ-
libris, in aliis verò, *phantasmati*: oportuit enim ματι. γς.
vtrunque poni, sed propter insolentiam locu- φάντασ-
tionis, vnum ex ambobus positum est, quale μά τι.
quis voluerit: attamen extrinsecus sumit, de-
fectiuè & alterum. *ars.* cognitio à familiari
& contubernali. *scitum porrò.* alio etiam modo pa. 27. a.
scitum & industrium fuerit. *morosa fuerit.* fatuè, σοφὸν δ᾽
insolenter ac stupidè constituta fuerit. *acta diur-* ἄν. pa. 45.
na. Hinc manifestum est Synesium scripsisse li-
brum sua somnia, & quæcunque eadem subse-
quuta sunt continentem: ea quippe vocat no-
cturna commentaria, siue somniorum annota-
tiones, quæ nocturno tempore eueniunt, & fa-
cta quæ eadem consequuta sunt, & insuper ac-
cesserunt. *in vtraque.* diurna & nocturna. *media.*
eius quæ neque ad id quod melius, nec ad id
quod peius est, vergit. *inter vigilandum.* Vt A-
ristides orator fecit. Nam cū aliis voluminibus

ipſe compoſuit, etiam alterum, quod iuxta ſubtilitatem complectebatur ſua ſomnia, quæ valetudine aduerſa obrutus viderat. Philoſtratus quidem certè Lemnius, Sophiſtarum vitam deſcribens, mentionem huius oratoris facit, atque

ὁ Λήμνιος. pag. 46.

» iſta de eo dicit: Ariſtidem ſiue beati filium, ſiue
» beatũ Adriani produxerunt. Eſt autem [*Adriani*] exigua Myſiorum ciuitas. Athenæ verò eum inſtruxerunt quo temporis Herodis florebat ætas, & Pergamum in Aſia, iuxta Ariſtoclis vocum obſcuriorum interpretationem. Cùm iam inde ab ineunte ætate incommoda infirmáque valetudine vexaretur, laborem nõ neglexit, nec detrectauit. Igitur morbi ſpeciem, & quòd nerui eidem horrore torpeſcerent, ipſemet in diuinis libris aſſerit. Sed eos diurnorum actorum libros ſcripturus ſibi quendam ſermonem applicat & accommodat: hæ porrò ephemerides bonæ atque vtiles ſunt magiſtræ bene diſſerendi de qualibet re. hoc vtique in loco omnes in quorum viribus ſitum eſt ſcribere cohortatur Syneſius, ne linguæ ac ſtyli laborem impendãt in alia abſurda quædam argumẽta, verùm exercitationem ac ſpecimen adhibeant circa ea quæ inter ſomniandum videntur, ac talibus vtatur pro diurnis commentariis: meminit quoque talium, qualia videlicet commemorat Lemnius Philoſtratus de Ariſtide oratore, alacriores prõptioréſque tali teſtimonio reddens auditores. *ad elocutionis argumentum.* ad politæ orationis facultatem, hiſtoriam, ſolutúmq; ſermonem. *cum natura.* Etenim naturali ſucco à melle ſeiuncta

ac ſe-

ac ſeparata eſt amaritudo, ſicuti natura dulcedo melli ineſt. Quòd ſi quis cernat in ſomnis ſe mel comedere, dolori & amaritudini acerbitatíque inſuper fiat obuius: & contrà ſi quis abſynthium. *oratione*. ſecundũ imaginationem rudem omníque experiẽtia carentem. *fingat*. doceat quod prodit è ſua phantaſia. *ex natura*. vt è melle dulcedo. *nullatenus*. acerbitas & amaritudo. *cum tempore*. At phantaſia, inquit, iſta adferens citra omnem temporis menſuram oſtẽdit, non tanquam multas ſpecies, hoc eſt, velut diſtinctam habentes varietatem, ſed omnes ſimul vt in vnam. *atque porrigit*. ipſi phantaſiæ largitur. *ſuſpicione ducimur*. imaginamur. *de quacunque re voluerit*. Nam ſæpenumero oſtendit diuitias, gloriam, aut mulierem ſpecioſam, ita indicans prout vnuſquiſque, quoad voluntatem & immodicam affectionem, animatus eſt circa res materiales. *voluerit*. phãtaſia. *abſolutiſsimæ*. Perfectiſſimam dicit rhetoricam antiquam captioſam & cauillatricem ſophiſtarum artem, quam rhetoricen philoſophantem Philoſtratus Lemnius vocat in Sophiſtarum vita. Diſputat enim, inquit, priſcus ſophiſta his de rebus in quibus occupãtur ij qui philoſophiæ ſtudio indulgent cum animi fiducia ſicuti peritus. Orationum verò prooemia facit: *hoc ſcio*, &, *illud noui*, *iſtud pridem conſideraui*, &, *nihil homini ſtabile ac certum eſt*. Talis exordiorum ſpecies & verborum generoſitatem reſonare facit, & intellectũ, vímque animi ac dilucidam rei comprehenſionem & inuentionem. Adhæc ſimilis eſt fatidicæ

pag. 28. a.

τελειοτά-της.

pag. 47.

& in exprimendis oraculis peritæ diuinationi. Et enim Pythius Apollo permulta ita exprimit,

Mensuram pelagi teneo, numeros & arenæ.

Et,

Iupiter ex ligno muris Tritonida donat.

Differebat quidem vetus sophistarum peritia de fortitudine, de iustitia, de dijs & heroïbus, & quemadmodum cõposita figuratáq; est mundi species. *absolutissimæ*. quippe quæ philosophia quędam sit ex optimis moribus decerpta, qualis erat vetus. *iuueniliter audet*. documentũ præstat. *vltra opinionem*. Cogitat enim aliquis de seipso magna, quantum ad virtutem: deinde dormiendo videns ea quæ his qui affectibus indulgent grata amabiliáque sunt, ipse inhiat & intentus est, non minus quàm illi. Itaque imaginatio periculum faciens, perpendens, indulgens, & quidpiam concedens vltra opinionem & coniecturam quam quis de seipso habet, demonstrat hominem haud rigido, stupido, immotóque animo affectum esse circa spectra, verùm aut fortiter annuit & assentitur, aut vehementer extrudit, vt vniusquisque cogitationem assequutus est, se interdiu exercens in suis negotijs. *maximè suauis est*. maiorem lætitiam adferens. *si certè*
pag. 28. b. *quispiam debet*. Ergo si quispiam voluerit, inquit, scribendo annotare somnia, ex nominibus ac verbis ea debet componere, igitur postea dictionibus subiectam ad scribendum materiam & animi conceptionem acriter perstringentibus, & illustri ac dilucido dicendi genere positã sententiam exprimẽtibus. Sin minus mortuum fuerit

fuerit & abſurdum hoc ſtudium, quippe quod impotens ſit ad auditorem adducendum ſe diſciplinæ tradentem in ipſam intelligentiam & comprehenſionem, qualem ipſe habuit & habet qui ſcribit ac docet. *inanima.* indocta, craſſa, & mortua. *cuius gratia.* veluti cauſa docendi auditorem vt intelligat ſomnium. *mouentibus*. animatis, viuẽtibus, ac dilucidè ſenſum ſubiectum aperientibus. *vincit.* inter ſomniandum. *omnium capax eſt.* Horum omnium, inquit, in promptu capax eſt fantaſia, & ea dormientem docet: ac compoſitio moroſè progredietur, vt inſtruat auditorem. *quo autem pacto*. quaſi dicat, haud facilè. *per quietem videt.* nomen vel ſomnium. *excitatur*. adhuc ſomno ſepultus. *ideóque Aloidæ.* Aloeï & Iphimediæ filij duo fuerunt Otus & Ephialtes, qui ſtatura prægrandes & immenſi, & quantùm ad corporis robur intolerabiles, arrogantes & inſuperabiles effecti, vicinis bellis finem impoſuerunt: & ob id à poetis ficti ſunt Martem in vincula conieciſſe: fabulantur præterea eoſdem vltra humanam naturam cogitãtes voluiſſe in cælum aſcendere: quocirca mõtes montibus impoſuerunt, Parnaſſo quidem Oſſam, Oſſæ verò Pelium, ac deinceps ſimiliter: vnde à Ioue fulmine tali perierũt. *ideóque*. Aloeï filij Otus & Ephialtes à Ioue fulmine tacti fuerunt. *montes*. Iſti ſiquidem montes ſunt in Theſſalia. Ait porrò Homerus in Odyſſea,

pag. 29. a. οἱ μὲν οὖν. pag. 48.

Hi ſunt conati imponere Pelio Oſſam,
Scilicet, atque Oſſæ frondoſum inuoluere Olympum.

Macrob. lib. 1. Saturn. c. 20. hanc mythologiam gigantomachiæ explicat. & Vidianus in Melam.

Icaro. Icarus & ipſe homo erat: cæterum aſtro-

nomiam diſcere voluit, ac ſiderum curſus, ſed cùm non poſſet facilè rationum demonſtrationes intelligere, defatigatus eſt interim dum huic ſcientiæ vacaret: qua de cauſa fabulatum eſt eum ſibi cereas alas conglutinaſſe, vt in cælum euolaret: ſed in ipſo volatu ſole eidem occurrente ac vehementiùs inſultante, liquefactæ ſunt pennæ, ipſe verò cecidit in eam partem maris, quæ ei ſorte contigit, à quo pelagus Icarium appellatum eſt: (feliciorem itaque dicit ſomniorum volatum) ac delapſus in mari ſuffocatus eſt. *adnotat*. quodam quaſi ſigno notat. *euadit*. inter ſomniandum. *nam paulò pòſt*. Alicubi enim ſuper terram inuenitur, neque peregre proficiſcebatur, vt dicamus eum veniſſe in terram. *nihil enim*. Nihil quippe aliud inſomniorum eſt proprium ac peculiare, quàm tempus interiectum obtegere, & citra temporis menſuram demonſtrare ea quæ cum tempore & labore vigilantibus abſoluũtur, vt nummorum poſſeſſionem, domorum luxum & magnificentiam, ſapientiæ abundantiam, cum angelis ſermocinationem, & reliqua huiuſmodi. *balantem*. vocem ouium. *vo-*
pa. 29. b. *cem*. articulatam & perfectam. *argumẽtorum*. quæ in inſomniis ſeſe offerũt. *ſermones*. hiſtorias ſcriptitare. *opinor* Nam & in ſomniis ſibi videre videntur alia animantia identidem cum hominibus diſceptare, arbores ſuopte conatu & impulſu tranſmutari, & homines inſtar volucrium volare, & quantùm ad formam figurámque in belluas rationis expertes conuerti, & alia infinita monſtroſa ſpectra. Proinde aſſerunt ij qui fabulas

bulas composuerunt ab initio ex ipsis somnijs habuisse occasionem. Vt enim somniorum licentia & facultas prodigiosas atque insolentes visiones ostendit, imbecillam speciem, & imaginem veritatis ænigmaticis velaminibus opertam, &, vt ita loquar, priorum lineamentorum designationes eorum, quæ inter vigilandum euentura sunt: sic & fabulæ cum licentia quadam affingunt & comminiscuntur plantas, lapides, necnon bruta animantia humana voce disserere, & complura talia, in quibus latitant adumbratæ quædam descriptiones, & verarum cohortationum seminaria, & voluptatis laruam in rei domesticæ dispēsatione auidæ multorum auditioni demonstrant. *libidinem.* licentiam, facultatem, & potestatem. *ad comparationem elocutionis.* exercitationem ac solutam orationem. *quibus artis princip.* hominibus. *artis.* quæ prior est exercitatio. *finis.* hinc est scopus studij. *quemadmodum in fabulis.* quòd incassum fabulas meditantur. *viuendi facilitas.* morum suauitas in vita otiosa miniméque laboriosa. *dictio.* sed hoc in loco, inquit, stylus fuerit magno studio affectatus ab his qui contentiosè de somnijs scribere volunt: Cæterùm dictiones rerum appendices dicit, vtpote quæ res sequuntur ad earum explicationem, quemadmodum scapha sequitur nauim. *lusus fuerit.* dictio ad ostentationem comparata. *relaxanti.* è sublimitate fastigióque philosophiæ descendenti, quando voluerit literarum monumentis aliquod disciplinæ speculamentum condonare. *exercere.* Quemadmodum

αὐτονομίαν.

pag. 49.

pag. 30. a.

πλουσίῳ. Ariſtides in lib. de quatuor. *locupletè*. ſicuti Libanius in ſuis meditationibus. *erant*. ſe huius inſtituti auctores oſtendebāt. *neceſſariorum*. quibuſcum familiaritate & amicitia iuncti erant. *ciuem*. Multas eiuſmodi obiectiones, & anfractuoſas quæſtiones Rhetores exercitationis cauſa inuicem proponunt, & maximè omnium Hermogenes ille Tarſenſis, ex quibus permulta excerpens Libanius ea meditabatur, & in his ſtylum exercebat, totum argumentum in longitudinem & amplificationem extēdens, & componens, ac veluti vmbratile certamen exercens, & ita contendens. Itaque meminit hoc in loco Syneſius vnius illorum problematων: & ſic ſe
pag. 50.
pa. 30. b.

„ habet: Quidam pauper & alter opulentus mu-
„ tuo odio flagrabant: pollicitus eſt autem diues
„ ſe ciuibus alimenta ſubminiſtraturum, ſi pauper
„ morte plecteretur: conceſſit populus. At filios
„ pauperis non educauit diues, ſed fame perierūt:
„ tanquam in ſordibus & in reatu cædis eſſet. ac-
„ cuſatur locuples.

Talem quæſtionem meditādo exagitat ſecundum dictum & ſenſum. *nonagenarius*. Hîc Sophiſtam Libanium attingere videtur, qui ad extremam ſenectutem progreſſus operæprecium duxit in meditādo ſtudium collocare: nullius enim plures meditationes reperiuntur quàm ipſius, nec tot. At excogitatio, inquit, adumbrata quædam eſt deſcriptio ac præcedens exercitatio cuiuſdam operis. Qui autem operis vmbram identidem vt opus exercet, imprudenter & occultè mendacium pro veritate apprehendit, & incaſſum laborat. *præparationem*.


nem. vmbram. *pancratium.* Olympica certãmina quinque eſſe dicunt, cæſtum, luctam, curſum, iaculũ & diſcum: erat quidem certè aliud etiam pancratium, quod cõſtabat è pugilatu & lucta. Licebat enim ei qui quinquertio vti volebat & in eo ſe exercere, non modò leges luctæ, ſed etiã pugilatus vincendi gratia adhibere. Hîc igitur Syneſius abuſiuè hanc vocem vſurpat, & pancratium exercere, dicit, nihil aliud eſſe, quàm principatũ tenere & vincere, quemadmodum alibi alijs dictionibus abutitur. veluti in epiſtola ad epiſcopos de Andronico, in qua dicit:
" Quia commemoraui equidem, tanquam è tri-
" uiali cauſa in naturam reuerſutum Andronicũ:
" nec decens ac conſentaneum eſt eum formido-
" loſum fore, propter hoc & illud. Ibi enim non imbellem pro audaciore & confidentiore vſurpauit. *pancratium*. Quaſi ex omnibus certandi generibus palmam reportare. *ex ſe ipſis commodum percipere*. id eſt, è ſuis domeſticis orationibus priuatíſque commentis, ac ſi ſua ipſorum ſtudia & ſapientiam deberent lucrifacere. *Archilochus*. Is Archilochus vetus erat poëta lyricus, qui non modo cecinit ad lyram, ſed etiam heroico verſu ea quæ ſua ætate geſta ſunt, deſcripſit: hunc ſummis laudibus exornat Philoſtratus in Sophiſtarum vita. Introducit enim ille quempiam ſophiſtarum dicentem, Homerum quidem vocem eſſe ſophiſtarum, Archilochum verò ſpiritum ſophiſtarum. *neque enim*. velut Libanius in ſuis meditationibus. *heroum genus*. Heroicum vocat genus, Græcos qui ad expedi-

παγκρά-τιον. p.51. pag.31.a.

tionem Troianam profecti sunt, quos illustriores clarioresque, inquit, suis poematibus effecerunt: se ipsos verò inglorios & illaudatos esse passi sunt hi poëtæ, nihil de sua ipsorum vita dicentes. *Virtutis amore*. poetices. *librum à nobis insolenter conscriptum*. Cõtra leges res nouas molientem. Et est sensus, Siquis cupit literarum monimentis relinquere orationem quæ à se ad posteros perueniat, inornatum & inconditum hunc librum contra consuetudinem scriptum inquirat & euoluat.



Sit omnipotenti Deo honor, gloria & gratiarum actio.



In his Nicephori Scholijs omissa sic corrigito.

Pag. 13. lin. 13. *lege*, obnoxium, ad intelligentiam propius accedentem. pag. 14. b. l. 25. *lege*, *Diuina ô Salamis muliebria pignora perdes*. pag. 26. b. l. 28. *lege*, inhærentibus. pag. 27. a. l. 13. *leg*. conuentione. pag. 28. b. l. 2. *leg*. pro altiore. pag. 29. l. 9. *leg*. studiosam. pag. 30. a. l. 21. *leg*. vehementiores. pag. ead. l. 30, *leg*. & ante concupiscendi vim. pag. 31. b. l. 1. *leg*. exporrecta. pag. 32. l. 14. *leg*. volutantes. pag. ead. l. 26. *leg*. volutantium.

Plerasque Nicephori breues ac parum fructuosas notas consultò prætermisimus. cætera quæ humana parum cauit natura, facilè nobis, vt spero, cõdonabis.

AD ILLVSTRISSIMVM AC REVERENDISSIMVM Cardinalem DE IOYEVSE: de Synesio, Nicephoro, & eorum Interprete.

Magna decent magnos, te maxima, maxime
Præsul;
Attamen hic tibi dat somnia sola Liber.
Somnia sunt fateor, sed magni Antistitis ista:
Arcana hic Sophiæ cuncta Libellus habet.
Huius Nicephorus vigil integumenta retexit,
Nubiláque eripuit cæca, facémque tulit.
Attica PICHONIVS *vertit sermone Latino,*
Quæ tibi, te solo Præsule digna, dicat.

Εἰς τὸν αὐτόν.

Ἐκ Διός ἐστιν ὄναρ, καὶ θεῖον θεῖος ὄνειρον
Μαιονίδης ᾄδει· θεῖα σὺ θεῖε λαβέ.

Idem Latinè, ad eundem.

A Ioue somnia sunt, diuina insomnia diuus
Mæonides perhibet: talia, dîe, cape.

Fed. Morellus, P.R.

Ad eximium Græcarum literarum interpretem & Professorem Regium apud Turonenses,

Attica mellifluo de-Pinxit lingua lepore
Nuntia ventur-I spectra soporiferi:
Transformes mentis spe-Cies, insomnia, visa:
Heroum queis ante Horrida fata patent.
Omnibus at Lati-O per te sermone reclusum
Nunc teritur Graij Nobile vatis opus:
Inclytus ignotis vol-I tátque Synesius oris,
Veráque magniloqui l-Vmina Nicephori.
Maxima vaticinos Manet hos vt gloria, supti
DVlce decus merces FAVsta laboris erit.

D. D. F. B. I. V. Doctor,
Adu. Turon.



